DE CARDINALIS QUIRINI VITA ET OPERIBUS

THESIM

FACULTATI LITTERARUM PARISIENSI

PROPONEBAT

ALFRED BAUDRILLART

SCHOLÆ NORMALIS OLIM ALUMNUS

LUTETIÆ PARISIORUM

EX TYPIS FIRMIN-DIDOT

M DCCC LXXXIX

DE

CARDINALIS QUIRINI

VITA ET OPERIBUS

EX TYPOGRAPHIA FIRMIN-DIDOT. — MESNILI AD STRATAM


Patritia Venetum Clara de Gente Quirina
Angelus hic ille est, morum qui nomine præfert
Mirum candorem, Latio venerabilis Ostro,
Omnigena pollens doctrina, Bibliothecæ
Vaticanæ honor, atq tuus modo Brixia Pastor
Egregius, quondam Corcyræ gloria. Justus,
Propositique tenax, Sibi parcus, largus egenis,
Magnificus, vera nulli pietate secundus,
Quod Templa ære Suo constructa loquuntur, et aræ.

DE
CARDINALIS QUIRINI
VITA ET OPERIBUS

THESIM

FACULTATI LITTERARUM PARISIENSI

PROPONEBAT

ALFRED BAUDRILLART

SCHOLÆ NORMALIS OLIM ALUMNUS

LUTETIÆ PARISIORUM

EX TYPIS FIRMIN-DIDOT

M DCCC LXXXIX

Viro optimo, homini doctissimo

H. PIGEONNEAU

Gratissimi animi pignus.

LECTORI BENEVOLO.

Angelus Maria Quirinus, de quo nobis habenda est oratio, Sanctæ Romanæ Ecclesiæ Cardinalis Eminentissimus, multa scripsit, plerumque latino sermone, patrii tanquam immemor, usus. Nulli ergo mirum videbitur nos eamdem usurpare linguam in hunc celebrandum, quamvis a Quirino vigente ad tempora nostra haud plures quam centum et quadraginta anni fuerint. Nonne enim, latine scribendo, viro latinæ orationis unice amanti, majorem reverentiam præstabimus?

Vita Quirini simplex et recta fuit, in rebus publicis aut magnis XVIII[i] sæculi facinoribus minime versata. Nihil præter episcopatus munera et litteras curavit; illis autem ita functus est ut omnes eum quasi patrem venerarentur et diligerent : has vero tantum adamavit ut non solum ipse plurimos et eosdem probabiles libros perfecerit, sed dignus fuerit habitus quocum eruditissimi totius Europæ viri per epistolas communicare honori duxerint.

Qui tam insigni virtutis honore tantaque doctrinarum varietate polluit, licet ad primum gradum contendere non valeat, is nobis posterorum laudes aliquo modo mereri visus est. Unde nobis suscipiendi hujus opusculi consilium.

Quod in tres partes dividemus. Prima Quirini vita breviter narrabitur; altera commercio quod, sive per colloquia, sive

per epistolas, cum doctissimis viris habuit, tertia autem præcipuis operibus quibus ipse inter eos aliquem numerum obtinuit, dabuntur.

Non supervacaneo labori nos operam dedisse credemus, si nonnullorum animos in virum, ut meritæ olim famæ, sic nunc immeritæ oblivioni, certe apud Gallos, traditum, converterimus.

A. B.

BIBLIOGRAPHICA EXPLICATIO.

Nonnulli hactenus non quidem obscuri, in Cardinalis Quirini vita et operibus cognoscendis se exercuerunt. Suas ipse res in libro qui *Commentarius historicus* inscribitur, ab anno MDCLXXX ad annum MDCCXL, amplissime narravit (1). Opere interrupto, statuit San-Vitalis, Soc. Jes., quas Quirinus ediderat lucubrationes recensere ac de suo fere nihil aliud adjicere quam temporum seriem atque ordinem; ita non tam Quirini res San-Vitalis, quam Card. Quirinus ipse Commentarios de rebus suis continuasse videri potuisset. Plura tamen adjecit S. Vitalis quæ vel ex aliorum operibus, ubi de Quirino agebatur, vel ex epistolis ad ipsum exaratis quas manuscriptas Quiriniana Bibliotheca asservat, vel e recenti hominum memoria collegit (2). Hæc continuatio ipsique Commentarii primum locum obtinent inter documenta ad Cardinalem pertinentia.

Quirino etiam vivente, scripta quædam ad illius laudem, præcipue apud Germanos, in lucem prodiere : sic *Vicennalia Brixiensia Em. Card. Bibliothecarii Ang. Mar. Quirini*, celebrata in Academia Gœttingensi (3); *Historia Cardinalis Quirini*, a Breithauptio (4); *Programma de Quirino glorioso*, a Frederico Hofmanno, etc. (5). Post Quirini obitum, de illo laudatoriæ orationes in pluribus Europæ Academiis habitæ sunt, inter quas enitet ea quam habuit Lebellus in Parisiensi Inscriptionum et Litterarum Academia (6).

Denique in omnibus collectaneis operibus quæ Illustrium virorum vitas complectuntur pars aliqua Quirino datur : ita, magno constant Quirini « vitæ » a Joanne-Baptista Baseggio et a Daunovio in Tipaldi et Michaudii collectionibus conscriptæ (7). Pater F. A. Zaccaria quoque in ampla *Historia litteraria Italiæ* ubi de æqualibus suis benigniora quidem, at studio dignissima, judicia tulit, de Quirino multa disseruit, et quæ jam scripserat, post Cardinalis mortem, opere laudatorio complevit (8).

Cur igitur hanc vitam rursum narrare suscepimus? Quia nullum ex istis operibus, etsi probandum, omni vitio caret. Quæ, vivente Cardinali aut vix mortuo, sive a Breithauptio, sive ab Hofmanno, sive a Brognolio (9), sive a quibusvis aliis scripta fuerunt, nimia pompa et adulatione in suspicionem inci-

(1) *Commentarius historicus de rebus pertinentibus ad Ang. Mar. S. R. E. Cardinalem Quirinum;* Brixiæ, Rizzardi, 1749, 3 vol. in-8°.

(2) *Commentarii de rebus pertinentibus ad Ang. Mar. Cardinalem Quirinum continuatio ab anno* 1741 *usque ad ejus obitum;* 2 vol. in-8°; Brixiæ, Rizzardi, 1761.

(3) Gœttingen, Vanderhœck, 1748, in-8°.

(4) Breithaupt, *Geschichte des Card. Quirini;* Frankfurt, 1752, in-8°.

(5) C. Fred. Hofmann, *Programma de Quirino glorioso;* Wittemberg, 1753, in-4°.

(6) Le Beau, *Éloge de Quirini,* Académie des inscriptions et belles-lettres, t. XXVII (1761).

(7) Tipaldo, *Biografia degli Italiani illustri del secolo* XVIII, Venezia, 1841, t. VIII, p. 124. — Michaud, *Biographie universelle*, t. XXXIV, p. 625; art. a *Daunou* conscriptus. — Cf. *Nouvelle Biographie universelle*, éd. Didot.

(8) Zaccaria, *Storia letteraria*, 14 vol. in-8°, Modena, 1751-1757; t. I, p. 187; t. II, p. 297; et *Elogio del Cardinale e Vescovo di Brescia Ang. Mar. Querini.*

(9) Antonio Brognoli, *Elogio del Card. e Vescovo di Brescia A. M. Querini;* Brescia, 1755.

dunt (1). Lebelli academica oratio, jucundissima, copiam factorum suppeditans electissimis et acutissimis verbis ornata, quibusdam erratis aliquantulum deformata videtur; quinimo litterariorum Quirini operum vix mentionem inchoat. Daunovius, claro, subtili et recto ingenio commendatur, sed, uti decebat brevis in eloquendo, multa prætermisit; brevius et jejunius Baseggii opus. Abbatis Zaccariæ Historia paucis verbis Commentarios recolligit; ejusdem laudatoria oratio alieno sermone scripta et paucissimis exemplis edita, in Gallia vix potest reperiri; præterea vitiorum orationibus laudatoriis consuetorum expers minime dicenda est.

Alii quidam Italici eruditi nonnulla ad Quirini vitam et scripta spectantia explanaverunt (2); ita Joannes Agostinus, XVIII° sæculo, illius litterarias sententias accuratius perpendit (3); et, nostro tempore, Philippus Garbellus, summa doctrina, quæcumque ad Bibliothecam Quirinianam attinebant in lucem protulit (4).

Illorum omnium scripta in utilitatem nostram vertimus, sed præsertim Cardinalis ipsius commentarios, epistolas et opera; ne plura, documenta ipsa diligenter evolvimus.

Res quidem operosa et maximi laboris eadem recensere, Quirinianorumque operum bibliographicos indices instruere; nam ubique et omni tempore edita sunt. Integra et completa operum quæ seorsum vagabantur editio, quam Voltairius desideravit, nunquam suscepta est, nunquam suscipietur. Nemo igitur profiteri potest se ex eis nullum omisisse. Quum tamen nos, non tantum Brunetii (5), Græssii (6), Tipaldi, Daunovii (7), imo Rizzardi (8) et Zaccariæ (9) bibliographicis operibus usi simus, sed etiam, sive Commentarios et Epistolas, sive Bibliothecæ Quirinianæ indices accurate legendo, nonnulla quæ eos ipsos scriptores fugerant animadverterimus, pleniorem recensionem effinximus; Cardinalis denique scripta in genera ratione disposuimus.

Per sequentes igitur indices nobis liceat a prolixiore sermone abstinere, non ita tamen ut, beneficia paululum exsolventes, omittamus fateri nos plurimum debere D. Fred. Masson qui primus menti nostræ hujus opusculi consilium injecit et D. Garbelli, Bibliothecæ Quirinianæ præfecto, cujus gratia idem perficere valuimus.

(1) Sambuca (Antonio), *Lettere intorno alla morte del Card. Ang. Maria Querini*, Brescia, 1757. — *Raccolta funebre fatta in onore del Card. Ang. Mar. Querini.* — *Lettere d'uomini illustri d'università e d'Accademie in riposta alle lettere loro scritte dall' Ab. Sambuca per la morte del Card. Querini.* — *Ragguaglio della morte del Card. A. M. Querini e della processione ed esequie à lui fatte;* Brescia, 1755.

(2) Tribolati (Felice), *Sull' Epistolario italiano del Voltaire;* Pisa, Nistri, 1878, in-8°. — *Alcune lettere di Veneti illustri al celebre P. Giovanni degli Agostini;* Venezia, 1885. — Fisogni (Carlo), *Cinque lettere dirette al Card. Ang. Mar. Querini tolte dalla raccolta inedita nella Biblioteca Queriniana;* Brescia, 1885. — *Lettere inedite di Lodov. Anton. Muratori al Card. Angelo Maria Querini. Archivio Storico Italiano*, 6ª dispensa di 1888, Firenze. — *Illustrazione italiana*, n° 49, novembre 1888. *Lettere inedite del Re Federico II al Card. An. M. Querini.*

(3) Agostini, *Istoria degli Scrittori Viniziani;* 2 vol. in-4° ; Venezia, 1752-1754.

(4) In opere inscripto « Brixia » continetur (p. 359-382) perfectissimum opusculum : *La biblioteca Quiriniana.* Incipit brevi, sed accurate et eleganter scripta Cardinalis vita· Brescia ; Apollonio, 1882.

(5) *Manuel du libraire.*

(6) *Trésor des livres rares et précieux.*

(7) *Oper. cit.*

(8) *Catalogo delle opere del Card. A. M. Querini*, Brescia, Rizzardi, in-8°.

(9) *Opere latine e francese dedicate al Cardinale.* — *Opere del Card. promesse e non esequite, o certo inedite.* — *Opere stampate lasciate dal Card. imperfette.* — *Opere edite.*

INDEX CHRONOLOGICUS

OPERUM QUAE SCRIPSIT VEL EDIDIT CARDINALIS QUIRINUS.

---

1. *De Mosaicæ Historiæ præstantia Oratio*, habita Florentiæ in Abbatia Monachorum Casinensium, pro auspicandis ibidem ad Hebraïcæ veritatis fontes Sacrarum Literarum studiis; Cesenæ, 1705, in-4°.

2. *Prælectiones in vetus Testamentum* (ineditum); Brescia. Biblioteca Queriniana a. IV, 26, 1706.

3. *De Monastica Historia Italiæ conscribenda*, oratio cum notis: Romæ, per Antonium de Rubeis, 1717, in-8°.

4. *Chronicon Farfense*, 1717. Hujus operis index methodicus tantum superest. (Commentarii, lib. I, part. II.)

5. *Vetus officium quadragesimale Græciæ orthodoxæ* recognitum et castigatum ad fidem præstantissimi Codicis Barberini in latinum sermonem conversum. Romæ, per Galeatium Chracas, 1721, in-4°.
Diatribæ quinque ad priorem partem veteris officii quadragesimalis Græciæ orthodoxæ.
I. De Ecclesiasticorum officiorum apud Græcos antiquitate.
II. De Hymnis quadragesimalibus Græcorum, eorumque Authoribus.
III. De aliis Canticis quadragesimalibus Græcorum, eorumque Authoribus.
IV. De Dominica Publicani et Pharisæi.
V. De Dominica Filii Prodigi; Romæ, per Galeatium Chracas, 1721, in-4°.

6. *Vita latino-græca S.P. Benedicti* ex textu latino Gregorii M. cum duobus Codicibus Mss. Subiacensibus nunc primum comparato, exhibitis etiam variantibus veterum Editionum lectionibus; et versione græca Zachariæ Papæ cum Cod. Ms. Abbatiæ Florentiæ collata.
Accedunt veterum carmina, sermones et homiliæ de S. Benedicto et variorum notæ in eamdem vitam contractæ et ad examen revocatæ; Venetiis, per Antonium Bortoli, 1723, in-4°.

7. *Primordia Corcyræ;* Lycii, 1725, in-4° (1ª editio).

8. *Enchiridion Græcorum* quod de illorum Dogmatibus et Ritibus Romanorum Pontificum Decreta post Schismatis epocham edita nunc primum in unum collecta complectitur; Beneventi, 1727, ex typographia archiepiscopali, in-8°.

9. *Sopra la Raccolta de' Monumenti Farfensi.* Alli Eminentissimi e Reverendissimi Signori Cardinali della S. Congregatione dell' Indice de Libri proibiti,

per il Card. Angiolo-Maria Querini; Roma, per il Giannini e Mainardi, 1730, in-f°.

10. *Apologia sopra il libro della Greca officiatura;* Roma, per il Giannini e Mainardi, 1730, in-f°.

* (1) 11. *S. Ephræm Syri opera omnia, etc. tomi VI;* Romæ, 1732-1746, in-f°.

12. *Sermone detto nel nuovo Domo di Brescia il giorno di Pasqua di Risurrezione dell' anno* 1737, etc.; Brescia. Rizzardi, 1737, in-4°.

13. *Primordia Corcyræ*, post editionem Lyciensem anni 1725 ab Auctore nuperrime recognita et multis partibus adaucta. Appendix Sacra quædam Corcyræ Primordia repræsentans, scilicet recens initam rationem ab Auctore dum ejus Insulæ Episcopatum gereret pro innocue retinenda quæ ibi viget inter Latinos et Græcos in sacris consuetudine.
Dicta illustrium Auctorum expensa et emendata in libro cui titulus Primordia Corcyræ; Brixiæ, Rizzardi, 1738, in-4°, 2ª editio.

* 14. *Veterum Brixiæ Episcoporum,* S. Philastrii et S. Gaudentii opera necnon B. Ramperti et Venerab. Adelmanni opuscula, nunc primum in unum collecta, etc.; Brixiæ, Rizzardi, 1738, in-4°.

15. *Epigrammata varia in libro cui titulus :* Corona di Componimenti Poetici di varii Autori Bresciani; Brescia, Rizzardi, 1738, in-4°.

16. *Animadversiones in Propos. 21 lib. VII. Elementorum Euclidis, cum nova ejusdem Propositionis Demonstratione. Accedit Demonstrationum Algebricarum Specimen ex Euclidis Exemplari ad id operis artificiose compacto depromtum;* Brixiæ, Rizzardi, 1738, in-4°.

17. *Specimen Brixianæ Litteraturæ*, quæ in urbe Brixia ejusque ditione paulo post Typographiæ incunabula florebat, unde præter Brixiani ingenii gloriam, tam Annalium typographicorum series quam Historia literaria temporis illius, illustrantur; Brixiæ, Rizzardi, 1739, in-4°.

18. *Commentarius de Bibliotheca Vaticana,* a S. S. D. N. Clemente XII. P. O. M. primum Aulæ accessione aucta, deinde Libris, Vasis Etruscis, ac Numismatibus locupletata, etc.; Brixiæ, Rizzardi, 1739, in-4°.

19. *Pauli II Veneti Pont. Max. Vita* ex Cod. Angelicæ Bibliothecæ, præmissis ipsius Sanctiss. Pontificis Vindiciis adversus Platinam, aliosque obtrectatores.

Accedit *Appendix* qua comprobatur Pauli II Pontificatus felicitati deberi optimorum Scriptorum Editiones quæ Romæ primum prodierunt post divinum Typographiæ inventum a Germanis Opificibus in eam Urbem advectum, plerisque omnibus earum Editionum seu Præfationibus seu Epistolis in medium allatis cum observationibus ad easdem rei Typographicæ illustrandæ valde opportunis; Romæ, per Antonium de Rubeis, 1741, in-4°.

(1) *Opera quæ hoc signo notantur, sive alieno labore perfecta sunt, sive in Quirini litteris inserta. Cf. Index methodicus, ad calcem.*

20. *Diatriba præliminaris ad Francisci Barbari et aliorum ad ipsum Epistolas*, in duas partes divisa; Brixiæ, Rizzardi, 1741.

* 21. *Sylloge Epistolarum Apostolicarum Clementis P. P. XII* de Vaticanæ Bibliothecæ incremento, etc.; Brixiæ, 1741.

* 22. *Sermo italicus habitus in nova cathedrali Ecclesia*, etc.; Brixiæ, 1741.

* 23. *Oratio de Mosaicæ Historiæ præstantia*, 2ª editio; Veronæ, 1741.

24. *Decas I Epistolarum* quas sub prælo sudante Francisci Barbari Epistolarum Collectione harum Editor et Illustrator in lucem emisit. (In hoc volumine continentur Epistolæ X a die 19 Januarii 1741 ad diem 6 Augusti 1742.) Brixiæ; Rizzardi, 1742, in-4°.

* 25. *Epistola Pastoralis*, Italico sermone ad Clerum Populumque Brixianum, qua ad gratiarum actiones, etc.; Brixiæ, Rizzardi, 1742.

* 26. *Monumenta literaturæ Episcoporum Venetæ ditionis qui Francisci Barbari ætate floruerunt;* Brixiæ, Rizzardi, 1742.

27. *Francisci Barbari Epistolæ* ab anno 1425 ad an. 1453. Nunc primum editæ ex duplici MS. Cod. Brixiano et Vaticano uno.
Accedit ampla earumdem mantissa ex Forojuliensis Bibliothecæ Guarnerianæ MSS.; Brixiæ, Rizzardi, 1743, in-4°.

28. *Decas II Epistolarum,* desumptis plerumque earum argumentis ex Vaticanæ Bibliothecæ MSS. (In hoc volumine continentur Epist. X a IX Kal. Jan. 1741 ad VI Kal. Martis 1743.)
Romæ per Nicolaum et Marcum Palearini, 1743, in-4°.

* 29. *Diatriba de Hymnis quadragesimalibus Græcorum* et eorum Authoribus (2ª editio); Brixiæ, 1743.

30. *Decas III Epistolarum* quas sub prælo sudante Reginaldi Card. Poli Epistolis harum Editor et Illustrator in lucem emisit. (In hoc volumine continentur Epist. X ab VII kal. Maii an. 1743 ad diem 26 Aug., 1744.) Brixiæ, Rizzardi, 1744, in-4°.

31. *Collectio epistolarum Reginaldi Poli*, S. R. E. Cardinalis et aliorum ad ipsum. Vol. I; Brixiæ, 1744, Rizzardi, in 4°.
Ad epistolas Reginaldi Poli seu aliorum ad ipsum *Diatriba* distributa in sex capita; Brixiæ, Rizzardi, 1744 in-4°.

32. *Ejusdem collectionis* vol. II; Brixiæ, Rizzardi, 1745, in-4°.

33. *Imago optimi sapientissimique Pontificis* expressa in gestis Pauli III Farnesii ad primos quinque annos ejus Pontificatus spectantibus; quos nimirum exhibent Monumenta in primo et altero Card. Reg. Poli Epistolarum Collectionis volumine comprehensa; Brixiæ, Rizzardi, 1745, in-4°.

34. *Lettera* al Reverendiss. P. D. Gio : Carlo Galimberti Abate generale de' Monaci Girolamini di Lombardia; Brescia, 20 Febbrajo 1745.

35. *All' Illustriss. e Reverendiss. Monsign. Antonelli* Segretario del Sacro Collegio; Brescia, 23 Feb. 1745.

* 36. *Vita del Card. Gasparo Contarini*, Scritta da Monsign. Lodovico Beccatello con alcune agiunte spettanti alla medesima, indicizzata con Prefazione all' Illustriss. e Reverendiss. Mons. Giuseppe di Thun, Vescovo di Gurck, etc.; Brescia, Rizzardi, 1746, in-4°.

37. *Sermones ac Pastorales Epistolæ,* quæ seorsim lucem aspexerunt usque ad an. 1746 ab Ant. Sambuca collegit ac typis J. M. Rizzardi publici juris fecit libro cui titulus, *Cure sacre e letterarie del Sign. Cardinale Querini;* Brescia, 1746, in-4°.

38. *Deca I di Lettere italiane* gia prima separatamente uscite alla luce dal mese di ottobre dell' anno 1744 al mese di Luglio dell' anno 1746. Indirizzata con Prefazione all' Illustriss. Sign. Canonico Salvino Salvini, Arciconsolo dell' Academia della Crusca; Brescia, Rizzardi, 1746, in-4°.

39. *All' Illustriss. et Reverendiss. Monsign. Antonelli;* Brescia, 3 Feb. 1746.

40. *Lettera circolare a PP. Aberti Girolamini* della Congregazione di Lombardia; Brescia 7 Maggio, 1746.

41. *Lettera al nuovo P. Abate generale* della Congregazione de' PP. Girolamini di Lombardia; Brescia, 2 Giugno, 1746.

42. *Al medesimo;* Brescia, 22 Giugno 1746.

43. *Al medesimo;* Brescia, 2 Luglio 1746.

44. *Lettera all' Illustriss. e Reverendiss. Mons. Borgia,* Arcivescovo di Fermo; Brescia, 15 Decemb. 1746.

45. *Decas IV Epistolarum latinarum,* a mense Julio 1745 ad mensem Martium 1747 exaratarum; Brixiæ, Rizzardi, 1747, in-4°.

46. *Lettera al illustriss. e Reverendissim. Mons. Borgia,* Arcivescovo di Fermo; Brescia, 19 Gennajo 1747.

47. *A Mons. Antonelli,* Segret. del Sacro Collegio; Brescia, 12 Gennajo 1747.

48. *Al medesimo;* Brescia, 20 novemb. 1747.

49. *Decas V Epistolarum latinarum,* a mense Aprili 1747 ad mensem Aprilem 1748 exaratarum; Brixiæ, Rizzardi, 1748, in-4°.

* 50. *Judicium* quod de binis jam vulgatis tomis Collectionis Epistolarum Card Reg. Poli proferunt *Acta Lipsiensia* mense Aug. an. 1747 pariterque ad judicium illud *Editoris animadversiones;* Brixiæ, 1748.

51. *Collectio epistolarum Reginaldi Poli, vol. III;* Brixiæ, Rizzardi, 1748, in-4°.

52. *Triumphus catholicæ veritatis;* Campidoni per Andream Stadler, 1748, in-4°.

53. *Oratio in libro cui titulus : Triplex triumphus Campidonensis;* Campidoni, 1748, in-4°.

* 54. *Specimen humanitatis* qua Eruditi quidam heterodoxi prosecuti sunt suevicum iter a D. Ang. Maria Quirino peractum an. 1748; Brixiæ, 1748.

* 55. *Quæcumque de diebus festis non imminuendis* Italico idiomate in publicam lucem eduxit Quirinus anno proxime elapso, nunc in Latinum conversa : scilicet Epistola prima et altera ad Dom. Borgiam Archiep. Firmianum; Compendium utriusque Epistolæ; et Excerpta ex Epistola ad Card. Puteobonellum. Archiep. Mediolanensem, ex epistola ad D. Franchenbergh, Abbatem Disertinensem et ex Epist. altera ad eumdem; Brixiæ, Rizzardi, 1748, in-4°.

* 56. *Concors sententia Romanorum Pontificum* Urbani VIII Successorum de non imminuendo Festorum dierum numero, quem idem Urbanus VIII præhabitis suffragiis Cardinalium et theologorum perpetuo valitura Constitutione præscripsit; Brixiæ, Rizzardi, 1748, in-4°.

57. *La moltiplicita de Giorni Festivi*, etc., Lettera agli illustrissimi e Reverendissimi Vescovi d'Italia; Brescia, 14 Agosto 1748, in-4°.

58. *Commentarius historicus de rebus pertinentibus ad Ang. Mar. Quirinum*, S. R. E. Cardinalem; II partes, III tomi; Brixiæ, Rizzardi, 1749, 3 vol. in-8°.

59. *Appendix ad Lib. I Part. II Commentariorum* de rebus Card. A. M. Quirini, qua recitantur responsa seu consilia præstantium Medicinæ Doctorum de morbo qui eumdem Cardinalem per quinque et amplius menses lectulo affixum detinuit; Brixiæ, Rizzardi, 1749, in-8°.

* 60. *De Diptycho Brixiano Boetii Consulis Epistola epigraphica* auspiciis, jussu et sumptibus Principis Eminentissimi Ang. Mar. Tit. S. Marci Cardinalis Quirini, edita, etc.; Turici, per Heiddegerum et Soc. 1749, in-fol.

61. *Decas VI Epistolarum latinarum* a mense Junio 1748 ad mensem Januar. 1749 exaratarum; Brixiæ, Rizzardi, 1749, in-4°.

62. *Lettera a Monsign. Antonelli;* Brescia, 19 Febb. 1749.

63. *Sermoni e lettere* comparvero separatamente dal 1744 al 1749 e furono stampate a Brescia ed a Roma (Cf. Tipaldo).

* 64. *De Vinculo quo adstringuntur Episcopi* ad defendenda Ecclesiarum suarum jura, Synopsis; Brixiæ, Rizzardi, 1750, in-4°.

65. *Injustæ secessionis ab Ecclesiæ Romanæ sinu*, jam damnati in Epistolis dogmaticis A. M. Quirini S. R. S. Bibliothecarii, Indicisque Librorum vetitorum Præfecti, horum temporum Sectarii Lutherani præsertim, nunc ejusdem Cardinalis cura edito earum Epistolarum delectu ad ovile Christi revocantur excurrente anno Jubilæi per S. S. D. N. Benedictum XIV celebrati. Præmittitur confutatio scelestissimi Libelli adversus ejusdem Jubilæi sanctitatem germanica lingua nuperrime evulgati. Romæ per Antonium de Rubeis 1750, in-4°.

66. *De Thiara et Purpura Veneta Romæ*, ante annos viginti penicilli opificio adumbrata in Aula majori Ædium Cardinalis Tit. S. Marci, appositis tantum nominibus Pontificum et Cardinalium Venetorum, nunc aucta Istorum elogiis ex Ciaconiano Opere depromtis, novisque ad hæc Adnotationibus in

publicum prodit. Decas I et II. Romæ. Anno Jubilæi 1750, per Antonium de Rubeis.

67. *Decas VII Epistolarum latinarum* a mense Februario 1749 ad mensem Junium 1751; Brixiæ, Rizzardi, 1751, in-4°.

68. *Deca II di Lettere italiane,* gia prima alla luce separatamente uscite dal mese di Settembre 1746 al mese di Gennajo 1751; Brescia, Rizzardi, 1751, in-4°.

69. *Collectio epistolarum Reginaldi Poli, vol. IV;* Brixiæ, Rizzardi, 1752, in-4°.

70. *Decas VIII Epistolarum latinarum* a mense Jan. 1753 ad mensem Jun. 1753; Brixiæ, Rizzardi, 1753, in-4°.

71. *Annotazioni* sopra il Libro che trovase registrato nell' Judice de' Proibiti alla classe incertorum Auctorum, con il titolo Liber inscriptus, Consilium de emendanda Ecclesia, ricavate dal lib. VI della Storia di Paolo IV, del P. D. Bartolommeo Carrara, C. R. stampate in Ravenna 1753.
Nuove Annotazioni sopra il detto Opusculo De emendanda Ecclesia.
Nuova aggiunta alle dette Annotazioni, 1753.

72. *Traduzione in versi latini ed italiani dell' oda francese* che ha per titolo *le Danger des spectacles* (versio latina et italica Gallici Idilii cui titulus, etc.). Sta unita alla pastorale de 16 Gennajo 1753.

73. *Commentariorum liber primus,* magnificis formis elegantique tabularum ænearum ornatu recusus; Brixiæ, Rizzardi, 1754 in-fol.

74. *Decas IX Epistolarum latinarum* a mense Julii 1753 ad mensem Maium 1754; Brixiæ, Rizzardi, 1754.

* 75. *Animadversiones apologeticæ* in vitam quam sui scripsit Vener. Card. Bellarminus, editamque Lovanii an. 1753; Brixiæ, 1754.

76. *Raccolta di Lettere italiane,* 1746-54, 3 vol. in-4°.

77. *Decas X Epistolarum Latinarum* a mense maio 1754 ad mensem Decembr. 1754. Epistolæ V extra ordinem; Brixiæ, Rizzardi, 1754 in-4°.

78. *Lettera postuma al Sign. Francesco Zanotti*, a Sambuca edita; Brixiæ, Rizzardi, 1755, in-4°.

79. *Epistolæ Eminentiss. et Reverendiss. D. A. M. Quirini S. R. E. Cardinalis Bibliothecarii,* etc., quotquot latino sermone is edidit, quæque seu seorsim, seu in decades distributæ antea vagabantur, eas omnes collegit et digessit Nicolaus Coleti; Venetiis, Coleti, 1756, in-fol.

80. *Atti spettanti alla Fondazione e Dotazione delle Biblioteca Quiriniana* a pubblico benefizio eretta in Brescia dall' Eminentiss. e Reverendiss. Sig. Cardinale A. M. Quirini, etc. Vescovo di essa Citta, pubblicati per Decreto degl' Illustrissimi signori Deputati Pubblici di Brescia; Brescia, Rizzardi, 1757, in-4°.

OPERA INEDITA S. L. N. D.

81. Miscellanea cronologica che principia dall' uscita del popolo ebreo dall' Egitto ed abbraccia varii fatti sacri e profani. Biblioteca civica Queriniana. B. v. 23.

82. Chronologia historica summorum Pontificum usque ad Alexandrum VII Pontificem; Brescia, Biblioteca civica Queriniana, A. III, 8-9. 2 vol.

83. Epicedium in funere Adolescentis Asdrubalis Denti (?), ibid. A. III, 7.

Adde Prælectiones in Vetus Testamentum (supra, n° 2).

INDEX METHODICUS.

SCRIPTA AD RES ECCLESIASTICAS PERTINENTIA.

1° SACRÆ LITTERÆ.

a. De Mosaicæ Historiæ præstantia Oratio (1.23) (1).
b. Prælectiones in Vetus Testamentum (2).

2° SACRI RITUS.

a. Vetus officium quadragesimale Græciæ orthodoxæ (5).
Diatribæ quinque ad priorem partem Veteris officii Quadragesimalis Græciæ orthodoxæ (5. 29).
b. Apologia sopra il libro della greca officiatura (10).
c. Enchiridion Græcorum (8).

3° HISTORIA ECCLESIASTICA.

a. De Monastica Historia Italiæ conscribenda (3).
b. Chronicon Farfense (4).
c. Vita Latino-Græca S. P. Benedicti (6).
d. Sopra la Raccolta de' Monumenti Farfensi (9).
e. S. Ephræm Syri Opera omnia (11).
f. Veterum Brixiæ Episcoporum opera (14).
g. Commentarius de Bibliotheca Vaticana (18).
h. Pauli II Veneti Pont. Max. Vita (19).
i. Imago optimi sapientissimique Pontificis expressa in gestis Pauli III (33).
j. Chronologia historica Summorum Pontificum usque ad Alexandrum VII Pontificem (82).
k. Sylloge Epistolarum Apostolicarum Clementis P. P. XII (21).
l. De Thiara et Purpura Veneta (66).
m. Collectio epistolarum Reginaldi Poli (31, 32, 51, 69).
n. Vita del Card. Gasparo Contarini (36).
o. Animadversiones apologeticæ in vitam Bellarmini (75).

(1) Se conferat lector ad numerum indicatum Indicis chronologici, illic inveniet titulos integros operum hic memoratorum.

4° OPERA DOGMATICA ET AD CURAS PASTORALES SPECTANTIA.

a. De vinculo quo adstringuntur Episcopi ad defendenda Ecclesiarum suarum jura (64).
b. Injustæ Secessionis ab Ecclesiæ Romanæ sinu jam damnati in Epistolis dogmaticis ... Sectarii etc. (65).
c. Sacra Primordia Corcyræ (13).
d. Sermones varii (22, 37, 63).
e. Epistolæ Pastorales variæ (25, 37, 55, 57, 63).
f. Sermones ac Pastorales Epistolæ ... Cure sacre e letterarie del Sign. Cardin. Quirini (37).
g. Quæcumque de diebus festis non imminuendis scripsit etc. (55).
h. Concors sententia Romanorum Pontificum de non imminuendo Festorum etc. (56).
i. La moltiplicita de Giorni festivi etc. (57).
j. Annotazioni sopra il libro... Consilium de emendanda Ecclesia (71).
k. Triumphus Catholicæ veritatis (52).
l. Oratio in libro cui titulus « Triplex triumphus Campidonensis » (53).

SCRIPTA AD LITTERAS PERTINENTIA.

a. Primordia Corcyræ (7, 13).
b. Specimen Brixianæ Litteraturæ (17).
c. Diatriba præliminaris ad Francisci Barbari et aliorum ad ipsum Epistolas (20).
d. Francisci Barbari Epistolæ (27).
e. Monumenta litteraturæ Episcoporum Venetæ ditionis qui Francisci Barbari ætate floruerunt (26).
f. De Dypticho Brixiano (60).
g. Epigrammata varia in libro cui titulus : Corona di Componimenti, etc. (15).
h. Traduzione in versi latini ed italiani dell'oda francese : *Le Danger des spectacles* (72).
i. Versio latina Gallici Poematis. Id. (72).
j. Epicedium in funere adolescentis Asdrubalis Denti (83).

SCRIPTA QUIRINI AD IPSIUS VITAM ET GESTA PERTINENTIA.

a. Commentarius historicus de rebus pertinentibus ad Ang. Mar. Quirinum (58, 59, 73).
b. Epistolæ latinæ (24, 28, 30, 45, 49, 61, 67, 70, 74, 77, 79).
c. Lettere italiane (34, 35, 38, 39, 40, 41, 42, 43, 44, 46, 47, 48, 68, 76, 78).
d. Atti spettanti alla Fondazione e Dotazione della Biblioteca Quiriniana, etc. (80).

Epistolæ, sive latinæ, sive italicæ, ad quoslibet hujus indicis articulos referri possunt, quippe quæ res ecclesiasticas et litterarias sæpissime tractent.

VARIA.

a. Miscellanea cronologica che principia dall' uscita del popolo ebreo dall' Egitto ed abbraccia varii fatti sacri e profani (81).
b. Animadversiones in Propositionem 21, lib. VII Elementorum Euclidis (16).
c. Specimen humanitatis qua Eruditi quidam heterodoxi prosecuti sunt suevicum iter a D. Ang. Mar. Quirino peractum an. 1748 (54).

OPERA QUÆ CARD. QUIRINUS RELIQUIT IMPERFECTA.

1. Chronicon Farfense, dissertationibus illustratum.

2. Commentarius de Bibliotheca Vaticana a SS. D. N. Clemente XII P. O. M. primum Aulæ accessione aucta, deinde Libris, Vasis etruscis, ac Numismatibus locupletata, etc.; Brixiæ, Rizzardi, 1739, in-4°.
(Hujus opusculi unum aut alterum duntaxat folium typis traditum fuit.)

3. Vita del Card. Polo scritta dal Beccatolo, ora per la prima volta data alla luce illustrata d'un commentario.
(Pars prima tantum in lucem prodiit.)

4. Recensio Decadis primæ, secundæ et tertiæ Epistolarum suarum latinarum.

5. Collectio Epistolarum Reginaldi Poli.
(Deerat tomus V et ultimus; hunc debemus diligentiæ et curæ Antonii Guelfi Presbyt. Brixiani.)

6. De vinculo quo adstringuntur Episcopi ad defendenda Ecclesiarum suarum jura 1750.
(Synopsis tantum perfecta fuit.)

7. De Thiara et Purpura Veneta, etc., 1750.
(Opus hoc sibi perficiendum suscepit Hieronymus Gradonicus.)

8. Commentarius historicus de reb. pertinentibus ad Ang. Mar. Quirinum, etc.
(Prioris editionis deerat tomus ultimus ab anno 1740 usque ad Card. mortem; secundæ typis tantum mandatus est liber primus. San-Vitali debemus Commentariorum continuationem usque ad Quirini obitum.)

9. Commentarius ad Dogmaticas Romanorum Pontificum post Paulum III constitutiones.

10. Dissertatio de nulla consecratione, etc.

11. La edizione dell' opera del Card. Paleoti de Consultationibus Cardinalium.

OPERA ALIENO LABORE PERFECTA, SED CARD. QUIRINI SEU ROGATU, SEU JUSSU, SEU ÆRE PRODITA.

1. S. Ephræm Syri opera omnia.

2. Veterum Brixiæ Episcoporum opera, etc.; Brixiæ, Rizzardi, 1738, in-4°.

3. De Dyptico Brixiano Boetii Consulis Epistola edita a Io. Casp. Hagenbuchio; Turici, 1749 in-f°.

4. Favit Editioni Dionis Cassii a Reimaro susceptæ.

INDEX OPUSCULORUM A QUIRINO IN LITTERIS LATINIS INSERTORUM.

1. *Sylloge Epistolarum Apostolicarum Clementis P.P. XII* de Vaticanæ Bibliothecæ incremento, de nova S. Ephraem Syri editione, etc.
(Decas I, Epist. IV ad Nereum Corsinum; Brixiæ, die 24 Junii 1741); ad calcem.

2. *Sermo italicus* habitus in nova cathedrali Ecclesia inter missarum solemnia die Assumptionis B. M. V.
(Decas I, Epist. V ad Nereum Corsinum; Brixiæ, die 27 Augusti 1741); ad calcem.

3. *Oratio de Mosaicæ Historiæ præstantia*, habita Florentiæ, an. 1705, iterum excusa Veronæ, an. 1741.
(Decas I, Epist. VI ad Nereum Corsinum, die 28 sept. 1741); ad calcem.

4. *Epistola pastoralis* Italico sermone ad clerum populumque Brixianum qua ad gratiarum actiones singulari cultu tribuendas sanctis Brixiæ Patronis Faustino et Jovitæ, ob eorum singulare tutamen binis documentis recens detectis certo comprobatum, excitantur.
(Decas I, Epist. IX ad R. P. Cyprianum Benaglia; Brixiæ, 14 junii 1742); ad calcem.

5. *Monumenta litteraturæ Episcoporum Venetæ ditionis*, qui Francisci Barbari ætate floruerunt.
(Decas I, Epist. X ad Benedictum P. P. XIV; Coleti, p. 44. Epist. XII; Brixiæ, die 6 Augusti 1742); inseritur in ea.

6. *Diatriba de Hymnis quadragesimalibus Græcorum* et eorum auctoribus, an. 1721, edita.
(Coleti, p. 136, epist. XXV R. P. D. L'Aneau, superiori generali Congreg. S. Mauri; Brixiæ, Kalend. Aug. an. 1743); inseritur in ea.

7. Quæcumque *de Diebus Festis non imminuendis* Italico idiomate in publicam lucem eduxerat Auctor anno proxime elapso, nunc in latinum conversa, scilicet, etc. (Cf. supra.)
(Coleti, p. 418, Epist. 4 Cardinali de Alsatia; Brixiæ, die 7 Februarii 1748); ad calcem.

8. *Concors sèntentia Romanorum Pontificum* Urbani VIII successorum de non imminuendo Festorum dierum numero, quem idem Urbanus VIII præhabitis suffragiis Cardinalium et theologorum perpetuo valitura constitutione præscripsit.
(Decas VI, Epist. ad Serenissimum Principem Hassiæ Lantgravium; Brixiæ, 12 jun. 1748); ad calcem.

9. *Specimen Humanitatis* qua Eruditi quidam Heterodoxi prosecuti sunt Suevicum iter a D. Ang. Mar. Quirino peractum an. 1748.
(Coleti, p. 464; epist. LVII Seren. Principi Hassiæ Lantgravio; Brixiæ, 1748); ad calcem.

10. *Judicium* quod de binis jam vulgatis tomis collectionis Epistolarum card. Reginaldi Poli proferunt *Acta Lipsiensia* mense Augusti an. 1747 pariterque ad judicium illud *Editoris animadversiones*.

(Coleti, p. 478; Epist. LVIII Viris clarissimis in lyceis Lipsiensi, Gœttingensi, etc., florentibus; Brixiæ, 1748); inseritur in ea.

11. *Augustini card. Valerii Episcopi Veronensis* ad Nicolaum Tomiscum Polonum quatenus cum iis qui a sanctæ matris Ecclesiæ gremio recesserunt sit versandum, libellus.

(Coleti, p. 526, Cardinali Sigismundo de Kollonitz; Brixiæ, d. 12 Februarii 1749); ad calcem.

12. *De paterna caritate Clementis VIII* summi Pontificis erga Amplissimum Regnum Galliæ, ab Augustino Valerio, Card. Veronensi.

(Coleti, p. 546, Epist. LXIX, Benedicto P. P. XIV; Brixiæ die 23 Aprilis 1749); inseritur in ea.

13. *Brixiani Philopatris* ad Rothfischerum et Jordanum *Elegiæ*.

(Coleti, p. 584; epist. LXXIX, Æmiliano Jordano; Brixiæ die 16 sept. an. 1752); ad calcem.

14. *Animadversiones apologeticæ in Vitam quam sui scripsit Vener. Robertus card. Bellarminus*, editamque Lovanii an. 1753.

(Coleti, p. 648; Epist. XCV, card. de Alsatia; Brixiæ, die 7 mart. 1754); ad calcem.

15. *Petri de Monte* Episcopi Brixiensis in repertorium a se in utroque jure editum *Proœmium*.

(Coleti, p. 654; Josepho Amelio de Januario; Brixiæ, die 8 Maii, an 1754); inseritur in ea.

16. *Varia monumenta de Hieronymiani Instituti origine*.

(Coleti, p. 664; Felici Mariæ Nerino, Congreg. monach. S. Hieronymi de Italia Abbati generali; Brixiæ, d. 31 Maii 1754); inseruntur in ea.

INDEX OPUSCULORUM A QUIRINO IN ITALICIS EPISTOLIS INSERTORUM.

1. Della greca officiatura.

2. Sopra la Raccolta de' Monumenti Farfensi.

(Alli Eminentissimi e Reverendissimi signori Cardinali della S. Congregazione dell' Indice de' Libri Proibiti per il Card. Ang. Mar. Quirini, 1730.)

3. Versio latina et italica nonnullorum carminum gallici Poematis inscripti : *La Henriade*.

(All'illustrissimo signore Salvino Salvini, arciconsolo dell' Accademia della Crusca, Deca I, lett. I.)

PARS PRIMA.

DE CARDINALIS QUIRINI VITA.

CAPUT PRIMUM.

DE STUDIIS ET DISCIPLINIS QUIBUS, PUER ET ADOLESCENS, BRIXIÆ, IN COLLEGIO NOBILIUM, SANTONII VIENNENSIS, FLORENTIÆ, IN BENEDICTINO CŒNOBIO MONACHUS, QUIRINUS INSTITUTUS EST.

1680-1710.

Anno 1680, die 30 Martii (1), ortum duxit Quirinus Venetiis ex nobilissimis parentibus (2), Paulo Quirino qui postea fuit Ædis D. Marci Procurator, Cœciliaque Justiniana, filia Marci pariter Procuratoris; Hieronymi nomine, quo ipso patruus ejus vocabatur, donatus fuit; duos fratres habuit, Franciscum majorem natu et Joannem minorem (3).

Anno 1687, sui eum parentes Brixiam, cum Francisco fratre traduxerunt, traditique ambo fuerunt Patribus Societatis Jesu, ut in collegio quod *Nobilium S. Antonii Viennensis* dicebatur, pietate et litteris imbuerentur.

I.

Novem annos ibidem transegit Hieronymus, eoque intervallo integrum studiorum curriculum a grammaticæ rudimentis usque ad philo-

(1) De hac natali die erraverant nonnulli et ipse Quirinus, in primo Commentariorum tomo; anno 1739, authenticam Baptismatis sui schedulam inspexit, in qua apertum testimonium invenit ortum suum penultimo memorati mensis die evenisse. Cf. t. II. Comment. Ad lectorem, p. VII-IX.

(2) De majoribus suis ter Quirinus scripsit Andreæ Quirino, carissimo nepoti, inter quos recenset Matthæum Quirinum, qui ann. 1186 ad Tarvisinam præfecturam accitus fuit, Marcum et Nicolaum Quirinum qui Regio Lepidi et Vicentiæ, XIII° sæculo, præfuerunt, Laurum et Vincentium, XV°, hebraïcæ linguæ peritissimos, etc. — Quirini Card. Epistolæ, Coleti p. 590, 594, 599. — Secundum Daru, *Histoire de Venise*, gens quiriniana jam magnum in Patriciis Venetis nomen habebat octavo sæculo post Ch. n. — Cf. Letteratura veneziana de Foscarini.

(3) Commentarii, t. I, p. 1; cf. Lebeau, loc. cit., p. 215.

sophiam ita emensus est ut condiscipulis omnibus longe præstiterit. Nonnunquam postea juvit eum meminisse famuli cujusdam, qui quoniam Quirinum, ceteris colludentibus, assidue librum aliquem manu gerentem conspiceret, semel iterumque interrogaverat num in animum forte induxisset clericalem vitam amplecti et Brixiano episcopatu quandoque potiri. Quem ipsum famulum, ut primo Brixiam quadraginta circiter post annos episcopus accessit Quirinus, superstitem ibidem invenit, vaticiniique memor benevole exceptum aliqua pecuniæ summa donavit (1).

Linguæ autem gallicæ addiscendæ cupiditas eum ceperat et in illa breviter ita profecisse magistro suo visus est ut idoneus judicatus fuerit qui Historiam Varillasii de prisca religione a sectariis immutata in italicum idioma ex tempore converteret et alta voce perlegeret, dum sodales publicæ mensæ discumberent.

Sæpissime testatus est se a magistris suis accepisse quidquid litterarum, quidquid christianæ pietatis in ipso erat, quin et propositum claustrali militiæ nomen dandi, de qua re nunc loquendum est (2).

Confessus est enim Patres Societatis nihil intentatum omisisse ut eum adolescentem ad Sancti Ignatii Institutum allicerent atque pertraherent (3). Ei autem jesuitica disciplina non magnam excolendi studia litterarum quarum amore flagrabat, copiam erat datura : ea enim tam multis et inter se discordibus muneribus alumnos suos implicare in more habet, ut ab omni otio carere jubeat. Propter contrarias causas, Familia benedictina animo adolescentis maxime arridebat (4).

Ut primum vero parentibus ejus voluntas innotuit, vix credi potest quam graviter perculsi fuerint, quot machinas adhibuerint ut filium carissimum de proposito dejicerent. Etiam ad fraudes et minas ventum est. Hieronymus tamen, quanquam vix sexdecim annos natus, pugnacius quam antea sententiam suam defendebat; tandemque votis potitus, rhedam qua vehendus foret, « quasi triumphalem currum, » conscendit.

Ut in Benedictinum Florentiæ cœnobium pedem intulit, eo majore voluptate perfusus est quod monachi vultu, verbis et actibus gaudium apertissime commonstrarent. Præterea patricium Venetum Florentiæ proceres et ipse Cosimus III, Magnus Etruriæ Dux, benignissime et valde honorifice exceperunt (5).

II.

Assumpto Angeli-Mariæ nomine probationisque tempore peracto, anno 1698, die prima Januarii, regularem professionem solemniter

(1) Commentarii, t. I, p. 2.
(2) Cf. Lebeau, loc. cit., p. 215.
(3) Commentarii, I, 4. Cf. Daunou, loc. cit., p. 625.
(4) Cf. Lebeau, loc., cit. p. 216.
(5) Nonnullæ Cosimi III ad Quirinum epistolæ missæ supersunt.

emisit. Permansit postea, ut est mos apud Benedictinos, in eodem tirocinii domicilio per aliquod tempus, id est per duos annos cum dimidio; tuncque illi facta fuit facultas, addito etiam stimulo, liberius et intentius litterarum studiis vacandi. Novus enim Abbas, Monasterii regimini destinatus, cui nomen Angelus Nincius (1), propter quod antea Romæ doctissimis viris familiariter usus erat, nihil antiquius habebat quam ut in omnibus doctrinis monachi magis magisque proficerent. Professores illustrissimos ex tota Italia arcessivit; adde quod Pater quidam Petrus Benedictus, ortu Damascenus, religione Maronita, orientalibus linguis græca, syriaca et hebraïca excultissimus, hospes in eodem monasterio morabatur (2). Cum Quirino per quatuor annos, quotidianam consuetudinem haudquaquam intermisit, eumque græcam et hebraicam linguas perfectissime docuit.

Facile intelligitur Quirinum, adjumentorum memorem, quæ bona sors largiter Florentiæ objecerat explendo litterarum quo flagrabat studio, sæpissime maximam Dei erga se beneficentiam agnovisse, qui adolescentem procul a consanguineis et amicis duxerat. Quum Venetias, anno 1705, ut tandem parentum assiduis efflagitationibus obsequeretur, commeare decrevit, etsi ab omnibus sive sanguine, sive monachatu cum illo conjunctis nullum defuerit incitamenti genus ut ad Venetum domicilium Florentino præferendum adduceretur, « cunctas hujusmodi illecebras et blanditias veluti Sirenum scopulos effugit, » animo diu noctuque recolligens studiorum quæ istud iter abruperat suavitatem (3).

Circa finem anni 1700, Quirinus maximam lætitiam ceperat, Florentiam petente familiæ benedictinæ et litterarum lumine D. Bernardo Montfauconio (4). Frequenter ad eum, duorum mensium spatio in Abbatia hospitatum, confluebant quotquot Florentiæ erant studiorum fama illustres et in primis Salvinus, Magliabecchius, Bonarotius, quorum colloquiis Quirinus, viginti annos natus, summa verecundia intererat.

Biennio post (1702), Perusiæ, theologicas theses *de Dei scientia media* propugnavit, hanc doctrinam impetens quam Patres Soc. Jes. tuebantur et docebant (5). Parum autem habebat theologiæ, juri canonico et linguis simul studuisse, nec perfectum existimabat hominem qui nullo modo in mathematicis versatur. Florentiam ergo regressus, *Euclidis Elementis* libroque Patris Lamy « *De la grandeur en général* » inscripto, ita incubuit ut paucis post mensibus, nonnullas animadversiones in Euclidem novasque demonstrationes, Guidone Grandio præ-

(1) De Angelo Nincio (Ninzio), cf. Lebeau, Acad. des inscriptions et belles-lettres, t. XXVII, p. 216.

(2) Hic pater Benedictus (syriace *Moubarak*) verus est auctor Editionis S. Ephrem operum, ab Assemano olim paratæ, quam inter Quirini opera nonnulli recensent. Cf. Epist. XIII, Alexio Symmacho Mazochio. V. Kal. Oct. 1742. Coleti, p. 69.

(3) Commentarii, t. I, p. 26.

(4) Lebeau, loc. cit., p. 217.

(5) Comment. I, 22; Daunou, loc. cit., p. 626.

stantissimo mathematico probante, excogitaret et proponeret (1).

Post absolutam Florentini regiminis periodum, Nincius Abbas ad supremam Congregationis Casinensis præfecturam fuerat evectus, simulque Cæsenatense Sanctæ Mariæ in monte cœnobium acceperat. Pro ea quam de Quirino fovebat opinione, illum Cæsenam advocare constituit. Tunc Quirinus Sacram Scripturam explicandi munus curamque conscribendarum in eam Prælectionum suscepit; quas Nincius adeo probavit ut Cæsenatibus typis evulgari, Quirino prorsus inscio, præceperit (2).

Illi Florentiam regresso colloquia de rebus ecclesiasticis Galliæ cum Vice-Legato, San-Vitali, eis juncta quæ ante decem annos habuerat cum Bernardo Montfauconio, consilium injecerunt ultra montes abeundi.

« Vix quidem cellulam egressus, doctissimum quemque inter præclaros Europæ viros familiarem habebat, ut qui uniuscujusque opera perspexisset; sed quemadmodum negotiatores quidam, certius merces quibus ditantur æstimare cupientes, eo pergunt unde illæ advectæ sunt, ut quibus aut agris aut officinis ortæ fuerint recognoscant, sic Quirinus celeberrimos æqualium suorum adire decrevit ut opera quibus incumberent, ab incunabulis, ut ita dicam, conspiceret. Ei maxima fuit peregrinandi causa, cura visendi scriptores scriptaque; nam nonnisi per occasionem atque in transitu principes principumque domos invisit (3). »

Quum igitur, anno 1709, Bononiam perrexit, conventione inita cum Joanne fratre suo qui pariter ad eam urbem Venetiis venerat, incidit inter illos sermo de itineribus quæ conjunctim aggrederentur et, paucis post mensibus, proficisci statuerunt.

Hic finem habet prima pars Quirini vitæ, quæ omnino sub umbra claustri, inter præstantes viros, studiis addicta, quantum doctrinæ et virtutis cultus in Benedictinis Italiæ Cœnobiis, ineunte sæculo XVIII°, effloruerit, conquirenti præclarissima documenta affert (4).

(1) Anno 1738, Quirinus Brixiæ edidit *Animadversiones in propositionem XXI lib. VII Euclidis*, etc., in-4°. Cf. Lebeau, loc. cit., p. 217.

(2) Hinc opus *Oratio de Mosaïcæ historia præstantia*. Coleti, p. 69; epist. XIII. Af. Sym. Mazzochio, 5 Kal. Oct. 1742.

(3) E Lebelli opere conversum, p. 217.

(4) « Vera Academia », ut dicit Lebeau de Florentino Cœnobio, loc. cit., p. 216.

CAPUT II.

DE QUIRINI PER GERMANIAM, BATAVIAM, ANGLIAM, BELGIUM ET GALLIAM PEREGRINATIONIBUS.

1710-1714.

Mense Septembri anni 1710, Florentia egressus, Veronam accessit, quo jam frater, ex convento, pervenerat. Tunc Germaniam, quam multis annis postea invisit, tantum transivit ut ad Batavos recta deduceretur. Relictis Rheni et Mosæ littoribus, Hagam Comitum tandem adivit, ubi statuerat per unum et alterum mensem subsistere.

I.

Hic moram traxit quo ipso tempore Legati Principum eo convenerant ad statuendas conditiones per quas bello quod ab octo jam annis ardebat finis imponeretur. Quirinus amicitiam junxit cum Sebastiano Fuscareno et Dominico Passioneo qui pacificatoriam ejusmodi legationem unus a Veneta Republica, alter a Summo Pontifice, acceperant. Pariter cum Comite de Sinzendorfio, Cæsareo legato, et, præter legatos, cum Jacobo Basnagio frequenter colloquendi aditus illi patuit.

Mense Decembri, in Angliam trajecturus, ad oppidum Brilla nuncupatum perrexit, quo in loco nuntiatum jam ei fuerat paratas adesse naves Ducem Marleburgium e Batavis littoribus transvecturas ad Britannica.

Ipse Dux, quem Hagæ salutaverant Quirini ambo, earumdem conscendendarum humanissime copiam illis fecit (1). At repente ventus subsedit adeo ut, tædio affectus, Marleburgius Hagam reversus est. Quirinus vero Amstelodamum adivit, integramque ibidem hebdomadam transegit, rara et singularia, quibus ea urbs abundat, studiose quin avide spectans. At nulla re magis delectatus est quam cum Joanne Clerico colloquiis, quibus interfuit ejus excelsa mente prædita conjux, Gregorii Læti filia. Kusterus degebat et ipse Amstelodami, hujusque pariter consuetudo Quirinum oblectavit, eo magis quod ex ipsa haud obscuris indiciis innotuit illi propensus hominis animus ad catholicam religionem, quam revera post binos annos Lutetiæ est amplexatus.

(1) De Marleburgio, cf. Commentarii, t. I, p. 43-44.

Adire etiam voluit domum in qua Pater Quesnellius habitabat, et cum ipso Jansenistæ Petitpied, Fouillou et Brigode, sed ita se gessit cum illis ut facile intelligeretur studium suum in eos ex viatoris tantum curiositate profectum fuisse. A Janseniana enim doctrina omnino abhorrebat et usque ad vitæ finem abhorruit.

Vento navigationi propitio jam flare incipiente, Brillam regressi, Angelus-Maria et Joannes tabellariam navem inscenderunt. Favit aura quidem et multo valentius quam optarent, nam tanta stomachi nausea affecti fuerunt ut Hardwicho, ubi anchoram jecerat navigium, per biduum lecto decumbere illis necesse fuerit. Londinum tandem pervecti, ædes Veneti legati, Petri Grimani, qui jam comiter tecto eos invitaverat, adiverunt. Qui, trimestri eo tempore quod apud ipsum hospitati sunt, ceteris officiis hoc etiam adjunxit ut abunde Quirino suppeterent per singulos dies virorum doctorum colloquia. Inter illos primo se obtulit qui maximam nomini suo famam comparaverat Gilbertus Burnetius, Episcopus Sarisberiensis. Æque libenter sermones habuit cum alio ejusdem nominis theologo, Thoma Burnetio, cujus opus inscriptum « *Telluris theoria sacra* » secum Florentiæ a Magliabecchio communicatum diligenter versaverat. Hickesii, Bentleii et Newtonii, haud minus quam Burnetii utriusque scripta Florentiæ comperta Quirino fuerant (1). Newtonium semel iterumque apud Bentleium, in Bibliotheca regia quam iste curabat, vidit; maximusque Mathematicus quasdam mathematicas quæstiones tractare non dedignatus est cum viro quem priora studia in Euclidem ad difficiliora audienda aptum fecerant. Ex Gallis eruditis qui Religionis causa in Angliam transfugerant, binos præsertim internoscere jucundum Quirino fuit, Alixium et Vassorium. Hic morabatur eo tempore apud illustrem Comitem de Portlandia a quo postea domo ejectus fuit.

Oxonium Quirino petenti occurrit Windesorium, quo quum advenisset pernoctaturus, ut primum e curru descendit, ad Guillelmum Cavum, cujus *Historiam scriptorum ecclesiasticorum* Florentiæ in manibus habere consueverat, advolavit. Tot horas cum illo consumpsit ut ad hospitium regressus, sopitis omnibus, incenatus cubitum iverit. Doctorum videlicet colloquia in numero ciborum habebat.

Postridie Oxonium pervenit et diligenter quæcumque eam Universitatem exornant lustravit, id est Bibliothecam Bodleianam, Theatrum Sheldonianum, Typographiam, Museum et Viridarium Simplicium. In omnibus visendis ducem se præbuit Joannes Hudsonius, Bodleianæ primus Præfectus. Aderant unà cum illo plures Collegii Oxoniensis Socii, et inter istos Joannes Potterus, valde celebre jam nomen assecutus ex *Græcis Archæologiis* ante aliquot annos publicatis. Parum abfuit quin ex hominum istorum benignitate Oxoniensium Doctorum catalogo Quirinus accenseretur : at præmaturus ex ea urbe discessus consilium illud disturbavit.

(1) Errat Le Beau, quum, propter Commentariorum falsam interpretationem, asserit illos ipsos jam a Quirino compertos fuisse : eorum opera tantum noverat. Cf. Daunou, loc. cit., p. 626.

Cantabrigiensis Universitatis adeundæ ut cogitationem abjiceret auctor fuit Bentleius, quippe qui haud magni faceret ejusdem professores. Multa ab eodem Bentleio aliisque sciscitatus est de Sant-Euremontio qui Londini ante octo annos obierat. Maximus ejus admirator Magalottus Quirinum jusserat, dum Florentia discederet, scribere quidquid de celeberrimo gallico scriptore audiret. Quas autem de illo notitias comparaverat, ne in Italiam redux largiri Magalatto posset, effecit invida mors quæ ipsius vitam ante Quirini reditum abrupit.

Assumptam a Novatoribus divini officii formam iteratis vicibus in eorum templis accurate observavit, necnon adfuit Sectarum Conventibus, quoties in aliquo angulo latere posse illi datum fuit. Parliamentum quoque haud semel adivit, quum, pristina auctoritate orbatus, Marleburgius omnium oculos in se converteret, vehementerque miratus est eximiam viri illius dexteritatem, ita cum singulis Senatus Patribus se gerentis, perinde ac si nihil prorsus adversi ei accidisset (1).

Prope finem Martii 1711, relicta Anglia, in Hollandiam Angelus-Maria et Joannes Quirinus remeaverunt, ut inde in Belgium primo, deinde in Galliam tenderent.

Propter legati Fuscareni obitum, maturius ab Hollandia profecti sunt (2). Sed Belgicas oras appetentes, Lugduni-Batavorum ad Gronovium, Perizonium, Casimirum Oudinum aliosque ejus Athenæi doctos viros; Delphis, ad Ludovicum Petrum Vaucellium et Vallonium invisendos; Roterodami, ad publica monumenta erecta in memoriam Erasmi intuenda, præsertimque ad perillustrem Petrum Jurieu, octoginta circiter annos natum, audiendum, commorati sunt.

Antuerpiam pervectus, nihil antiquius habuit Quirinus quam ut ad ædes Jesuitarum, ubi Papebrochius aliique Actorum Sanctorum collectores degebant, accurreret. Per biduum matutinis vespertinisque horis Papebrochium convenit, nec tamen unquam ejus colloquiis exsaturatus abscessit. Hospitabatur eo tempore in ædibus illis Jesuitarum Cardinalis de Bouillon, qui plura Quirino narravit de causis suæ in regionem illam e Francia secessionis. Bruxellis, Mechliniæ, Lovanii, multa de ecclesiasticis et litterariis rebus cum nonnullis episcopis, patribus et doctoribus identidem disseruit.

Gandavi hospitium illi omnino benevole præstitum fuit in Cœnobio S. Petri, pariterque Tornaci in Cœnobio S. Martini, nec minorem humanitatem expertus est dum Abbatias Marcianensem, Aquicinctinam, Elnonensem, seu S. Amandi, et Bertinianam S. Audomari lustravit. Duaci illum exceperunt Monachi Angli qui in ea Urbe congregabantur; in urbe Atrebatensi, Benedictini S. Vedasti. Cum his omnibus summa peritia se gessit Quirinus, quod non omnino planum erat, testante hac narratiuncula. Atrebatensis episcopus Seves de Rochechouart, jam Quirino in Italia notus ex damnatoria sententia quam inflixerat in nonnullos libros, accesserat ipse ad eum invisendum in Vedastinis ædibus.

(1) Cf. Lebeau, loc. cit., p. 218.
(2) Commentarii, t. I, p. 62.

Celsissimam autem earumdem turrim conscenderat Quirinus, quum illi nuntiatum est Episcopum jam adesse in Monasterio; celeri descensu eidem occurrit eumque his primo verbis affatus est : « Domine, me invenisti in celsissimo loco *Diœcesis tuæ!* » Quod dictum, specie innocuum, Monachi præsentes auribus ingratis audire visi sunt, alii alios limis oculis intuentes, subridente contra Episcopo. Monachi enim illud Cœnobium intra Diœcesis fines ne contineretur propugnabant.

Cameraci, in Monasterio Benedictinorum quod Sancti-Sepulchri dicebatur deversatum assidua sua familiaritate, quamvis in proprias ædes primarios gallicarum copiarum duces recepisset, Fenelonius uti jussit et cum eo usque ad mortem litterarum commercium habuit.

II.

Mense Aprili an. 1711 ad finem vergente, Lutetiam versus iter Quirini ambo arripuerunt. Urbem ingressus, celeri cursu ad San-Germanenses suos contendit Angelus-Maria, ac, præ desiderio eos amplexandi, mora illi visa est, ut aït, vel ipsa pernicitas (1). « Qualia apud Vergilium Æneas, dum, Carthaginem vento depulsus, tot hominum laborantium manus, totque ædificiorum surgentium fundamenta exsultans prospicit, talia monachus noster in celeberrimam eam Abbatiam introductus sentit :

> Artificumque manus inter se operumque laborem
> Miratur (2)...

Vix dici potest quot illustres viros, per triennalem ejus in patria nostra commorationem (a mense Maio anni 1711 ad Maium an. 1714), Quirinus inviserit. Justum et plenum, ut Daunovii verba referamus, litteratorum doctorumque Galliæ virorum tunc vigentium indicem daret qui nomina proferret illorum quibuscum, sive in Monasterio San-Germanensi, quod fuit eo tempore quasi præstantissima Europæ Academia, sive in ædibus Cardinalis d'Estrées (3), Marchionis de Torcy et advocati-generalis d'Aguesseau, vel etiam in provinciis, monachus noster italicus aliquam consuetudinem fecit. Hæc tamen ad tempus opportunum omittamus; tria enim secundæ partis capita litterario Quirini cum Gallis commercio dabuntur; nunc tantum agitur de ejus per Galliam peregrinationibus (4).

Ter in regiam Aulam receptus, antequam ad Regem salutandum jamjam profecturus admitteretur, eam primum mœstissimam invenit pristinoque splendore omnino orbatam. Ad Fontisbellaquei palatium Quirinum dux erat Augustinus Cusanus, Nuntius apostolicus. Ludovicum XIV una cum Regiis Principibus mensæ assidentem conspexit

(1) Commentarii, t. I, p. 85.
(2) Æneid. lib. I, V. 455. — Lebeau, op. cit. p. 219.
(3) Iste Cardinalis abbatiales ædes cœnobio San-Germanensi conjunctas incolebat.
(4) Cf. Part. II, cap. III sq.

pariterque inter illos adscitus est quibus Regem e lecto surgentem in cubiculo intuendi patebat facultas. De bellicæ rei statu Regem loquentem audivit, de belgico exercitu maxime sollicitum, quod, superioribus mensibus, Eugenio Principi et Marleburgio Duci res ita prospere in iis partibus successissent, ut horum copiæ quamprimum in Franciæ fines pervadere posse viderentur. Nonnulli mussitantes dicebant ad eum res illas articulum devenisse ut necesse foret de regia aula, trans Ligerim, ad Camporium traducenda cogitare (1).

Etsi ejusdem Aulæ primates quamplures inter se veluti decertarent ut Angelo-Mariæ et Joanni Quirino maximæ humanitatis argumenta exhiberent, attamen Angelum-Mariam Marchio de Torcy ita sibi devinxit ut per octo dies quibus Fontebellaquei substitit comitem habuerit; tunc quoque orta est inter Quirinum et Marchionissam de Torcy, dignam Arnaldi Pomponii filiam, hæc consuetudo quam etiamnunc testantur tot epistolæ. Quod domicilium frequentissime adibant illustres Abbates Polignachius et Pomponius.

Desinente mense Februario 1712, ad Versaliensem Aulam perrexit Quirinus una cum fratre Joanne quem ad eam vocabant officia nonnulla peragenda antequam Italico itineri Venetias repetiturus se daret. Majore etiam quam antecedente anno mœstitia gravabatur ea, ob funestissimos interitus qui ante paucos dies evenerant, Regiæ nimirum Delphinæ, deinde Delphini, et præterea ob Ducis Britanniæ pessimum morbum qui hunc quoque sustulit ineunte mense Martio. Acerbissimas hasce calamitates mirabantur Regiæ Aulæ primores summa constantia excepisse Regem Ludovicum, etsi morborum eorum malitia, seu, ut medici loquebantur, cæcitas eas suspiciones ingereret, unde magis magisque regius animus afflictari posse videretur (2).

Cum Joanne Emo, Venetiarum legato, in sacra S. Dyonisii æde, solemnibus Delphini et Delphinæ parentalibus interfuit.

Quum autem ad Fontembellaqueum rursus perrexit, res melius succedebant; nam a Marescalco Villarsio hostium copiæ e Denanio primum fugatæ, deinde ad solvendam Landrecii obsidionem adactæ fuerant, ac demum ad deserenda pleraque oppida et castra quæ antea occupaverant. Fausta hæc sat aperte spectandos præbuerunt in ipso Rege et in Aulicis omnibus exsultantis animi motus, quibus similes antea non conspexerat Quirinus. De iis itaque successibus frequentissimus erat in ore omnium sermo. Non æque tamen omnes in Villarsii plausus conspirabant, nec deerant qui ejus gesta alieno animo elevare et obterere conabantur. Narratum Quirino fuit, Villarsium jamjam in Belgium profecturum hinc verbis Regem compellasse : « Domine, in hostes tuos vado ; te autem inter meos relinquo (3). »

Ultima vice, Galliæ provinciis ad occidentem vergentibus perlustratis, Regnumque relicturus, ad Fontembellaqueum et ad Versalia accessit

(1) Commentarii, t. I, p. 136.
(2) Commentarii, t. I, p. 154.
(3) Commentarii, t. I, p. 167.

Quirinus ut Regem consalutaret atque Aulæ primoribus debita pro singulari cujusque benevolentia persolveret. Constat inter patricias gentes maxima erga Quirinum gratia eminuisse familias de Rohan, de Armagnac, de Polignac, de Tresmes, de Villeroi, d'Estrées, de Noailles, de Livry, denique de Torcy, quæ primo loco erat nominanda, namque ex ea quum Marchio, tum hujus uxor, si quando, dum alios invitarent, coram adesset Quirinus : « Te autem, aïebant ad illum conversi, non invitamus, quippe qui in domo nostra familiaris, imo filius nôster sis.

His verbis Rex illum compellavit : « Verumne est te adeo Lutetia et provinciis mei Regni contentum fuisse? — Verum est, inquit, Domine, et annos quos in tuo Regno egi totius vitæ meæ optimos et utilissimos habebo. » Tunc Ludovicus subdidit : « Hac re gaudeo, et polliceor te haud minus Regis ipsius persona contentum profecturum esse, quantum ad me pertinet. » Perrexit deinde Rex ad sacrum audiendum, statimque nobiliores Aulici certatim Quirino gratulari cœperunt, uno fere ore dicentes : « Quam benigne te Rex excepit! »

Adiverat quoque Quirinus Ducem Aurelianensem qui cum illo per sesquihoram locutus erat. Illius ingenium magni æstimavit monachus; dux vero, pro parte sua, ab hac die usque ad mortem, etiam dum rerum francicarum post mortem Ludovici Magni potitus est, nonnullis litteris quanta benignitate Quirinum amplecteretur satis est testatus (1).

Nulli mirum videbitur hominem nostrum, etiam in aula Regis, multo libentius quam de militaribus ac politicis negotiis, de ecclesiasticis et de litterariis collocutum esse. Cum cardinalibus d'Estrées et de Rohan, cum Henrico de Thiard, Meldensi Antistite, et cum Tellerio, Regis confessori, frequentissimos sermones de Ecclesiæ statu habebat; nec Noallium audire absistebat.

Quirinum enim, vix Lutetiam provectum, cum fratre Joanne et nobilibus aliis Italis, Parisiensis Archiepiscopus in villa quæ ad Confluentes Sequanæ et Matronæ sita erat ad prandium invitaverat. Ab hac die illorum amica conjunctio. Lectoris pace amborum primum congressum narrabimus, ut qui non omni condimento careat.

Petierat Noallius ut cardinalis Destraeus convivium illud « sua celebritate honestaret ». Statuerat iste ad iter faciendum Quirinum comitem adhibere in lectica multaque illi de suis legationibus, præsertim de ea quam apud Philippum V nuper gesserat, retulerat. Ut primum e lectica descenderunt et pedem posuerunt intra Noallii ædes, Destræus, admiratus tesselata earumdem pavimenta admodum nitida et lucida, occurrentem Noallium his verbis compellavit : « Hic adsunt, Domine Cardinalis, magnifica et fulgentia pavimenta! qua lætitia oblectarentur Reverendissimi Patres, si eodem modo nitidum et venustissima coma adscita exornatum os tuum viderent; hoc saltem in te culpare

(1) Commentarii, t. I, p. 240. — Cf. Lebeau, loc. cit., p. 220. — Bibliotheca Quiriniana.

possent! » Subita autem oratione Noallius ad hæc ita respondit : « Pace tua dixerim, Domine Cardinalis, erras! Reverendissimi Patres multo magis oblectantur, quum jam canescentes capillos meos aspiciunt, nam illis Archiepiscopi mors proxima arguitur (1). »

Cum Noallio de Jansenismi negotiis quasi unice confabulati sunt; jocis Destræus non pepercit, nec Noallio defuerunt quibus ictus repelleret promptæ concinnæque responsiones.

Lutetiæ, præter Benedictinos, Boivinium, Renodotium, Dacerium, Turellium, eruditos viros, frequenter adire consueverat. Interdum urbes et abbatias Lutetiæ propinquas invisebat. Post fratris discessum, cupiditas eum incessit ad Remensem urbem commeandi, quo invitatus fuerat ab Archiepiscopo de Mailly, statuitque in eadem Hebdomadam sanctam anni 1712 et Paschalia festa peragere. Divertit igitur ad Cœnobium S. Remigii; Monachi in eo degentes curam omnem comiter ceperunt ut illum de eis edocerent quæ ad monasterii historiam, maximopere conjunctam cum Historia tam Ecclesiæ quam Galliæ, pertinerent. Meldas quoque ivit ut cum Bossueti memoriæ studiosissimis sermocinaretur. Inter illos enituit Dominus de S. Andrea, vicarius olim generalis ejusdem Bossueti. Insignes Monialium Abbatias, prope hanc urbem sitas, nempe Jovarensem et Sanctæ Faræ, lustravit, necnon magnificam domum, seu Castrum *Fresne*, quo secedere consueverat Daguesseau ut gravissimis assiduisque occupationibus distentus quietis interdum refrigerium perciperet. Cujus semper memoria sic delectatus est ut epistolam ad Claudium Bozium his verbis concluserit : « Vale iterum, et valere meo nomine jube Virum amplissimum, Franciæ Cancellarium, cui quantum debeam initium hujus Epistolæ declaravit atque eidem persuadeas, velim, gratissime meæ memoriæ recurrere quæcumque, dum ad magnificas, excultissimasque ejus Ædes in Meldensi tractu sitas, comite Abbate de S. Andrea, vicario olim generali Benigni Bossueti, Meldensis Episcopi, adveni; inter nos collocuti sumus de insignibus Cœnobiis ad eumdem tractum spectantibus, quorum antiquitates, San-Maurinis Patribus me huc et illuc deducentibus, curiosis oculis (non enim dicam eruditis) lustraveram. Addasque, si placet, minime ex eadem memoria excidisse, quod, ut primum Ædes illas ingressus sum, dixi, videlicet : « Ego sum in Ædibus ubi cuduntur Fulmina adversus Vaticanum »; namque ad Procuratoris generalis munus, quod ille eo tempore gerebat, spectat intercedere Romanæ Curiæ decretis, siquidem per ipsa politicarum rerum status turbari posse contingat, et æque bene recordari responsi ab eodem mihi traditi, nempe : « Pace tua dicam; hic cuduntur clipei adversus Fulmina Vaticani! » Hæc non ita bene meminissem, nisi singularem adversus virum illum, et munere quo fungitur, et suis virtutibus clarissimum observantiam mecum in Italiam exportassem (2). »

(1) Commentarii, t. I, p. 142.

(2) Epistola XXVII Claudio Bozio, Brixiæ X Kal. Januar. 1743. Coleti, p. 182. De hac consuetudine Quirini cum Daguesseau, cf. Lebeau, *loc. cit.*, p. 220.

III.

Breves autem eæ excursiones Quirino ut longe lateque per Galliam discurreret mentem injecerunt. Quod consilium, mense Martio 1713, tandem exsecutus est (1). Spectanda illi primum sese præbuit Normandia. Parisiis Rothomagum recta contendit; exceptum in Benedictinum S. Audoeni Cœnobium, Carolus Franciscus de Montmorencio, Dux Lucemburgii, Normandiæ gubernator, multis officiis fovit. Lustrare postea instituit celeberrimas Benedictinas Abbatias haud multum ab Urbe diversas, scilicet Fiscamnensem, Fontanellensem, Gemeticensem, Sancti Georgii atque Beccensem. Quid multa? Omnes abbatias quibus abundabat Normandia curiose obivit, et in præcipuis, Trappensi, Cadomensi S. Stephani, Monte S. Michaele ad Tumbam, commoratus est. Sic biduum in Trappensi consumpsit, quod optaret funditus ediscere quæcumque ad Rancei, novæ observantiæ in eadem institutoris, vitam et scripta spectarent. Insuper diligentius investigavit qua ratione acciderit ut ea observantia a Gervasio abbate quem post abdicatum a se Monasterii regimen eidem præfici curaverat Ranceus, conflictata fuerit; quo deinde pacto, ut tanto malo mederetur, Abbatiæ dimissionem obtinere studuerit ab eodem Gervasio ipse Ranceus, successeritque Gervasio Jacobus de La Cour. De his tristissimis casibus multa Quirino retulit Petrus Lenain de Tillemont (2).

Normannicum iter emensus, aliud subinde aggressus est quo Britanniæ præcipuas tres urbes Redonensem, Macloviensem et Nannetensem invisit. In cœnobio B. Virginis Buzeensis, Ludovicus Caumartinus, ejusdem Abbatiæ commendatarius, eloquentiæ et aliis ingenii dotibus utique præstantissimus, Præsidisque olim officio functus in Regia bonarum litterarum et inscriptionum Academia, innumeros sermones cum Quirino miscuit de Parisiensi præsertim litteratura, cujus statum studiose ab illo indagabat, quod ipse jamdiu ab ea urbe absens sua in Abbatia degeret magnificis constructionibus ibidem moliendis valde occupatus.

Deinde Quirinus viam ingressus est quam vulgo dicunt *la levée de la Loire*, eamque, ceu voluptarium ambulacrum, maxima oblectatione percurrit a Nannetensi urbe usque ad Aurelianensem. Salmurium et Abbatiæ Sancti Florentii et Fontis-Ebraldi illum præcipue delectaverunt; Aurelianum adveniens, nihil prius habuit quam ut Stephanum Baluzium in ea Urbe ex regia permissione degentem inviseret.

Quirinum vero, Ligeris aggere egressum, excepit Campania. Per

(1) Hanc per Galliæ provincias peregrinationem bis narravit Quirinus; primum in longa epistola quam « viris clarissimis in regiam parisiensem Academiam Inscriptionum et politiorum litterarum adscitis » anno 1743 scripsit; Coleti, p. 116 - 136; iterum in Commentariis, t. I, p. 201 - 296.

(2) Hæc omnia singulatim narrantur a San-Simone, t. I, p. 395, éd. Chéruel in-12.

Senonensem et Trecensem urbes iter faciens, diutius commoratus est apud Catalaunensem Episcopum Gastonem Noallium, Ludovici Cardinalis fratrem, qui tunc in Abbatia Altivillarensi versabatur. Ille ad sermones de turbis quibus gallicana Ecclesia eo tempore agitabatur hospitem convertere tentabat; sed Quirinus eosdem declinandi cupidus, alios, non omnino quidem ab iis dissentaneos, sed veteris eruditionis sapore conditos, scilicet ad Altivillarenses antiquitates, promovere satagebat, verba faciens de varia Goteschalci fortuna qui in eo ipso Cœnobio in carcerem detrusus, ibidem extremum finem sortitus fuerat. Pie et curiose postea adivit celeberrima Cisterciensis Ordinis cœnobia et imprimis Claravallense a S. Bernardo illustratum et sacratum.

Licet Quirinum ut rediret Lutetiam urgerent et æstivi calores et innumeræ amicorum litteræ, quarum excerpta illius Commentarios augent et adornant, non adeundam tamen hanc Urbem decrevit, nisi Insula Franciæ peragrata. Suessionensem itaque, Laudunensem, Noviodunensem, Bellovacensem et Sylvanectensem Diœceses diligenter percurrit. In Calensi cœnobio, Aloysiam-Adelaïdem Aurelianensis Ducis filiam, quatuordecim annos natam, alloqui honori duxit, cujus verbis certior factus est quam constans ea foret in proposito monasticæ vitæ arripiendæ. Revera haud multo post illam amplexata est et brevi Abbatissæ etiam gradum obtinuit, « ex quo ad cœleste domicilium ante aliquot annos convolavit (1) ».

Tribus mensibus iterum Lutetiæ transactis, amicis valedicto, mense Novembri 1713, Burgundiam versus iter cepit monachus noster. Divione, Bibliothecarum San-Benignianæ et Janninianæ, simul ac Joannis de Bouhier Parliamenti præsidis eruditione retentus, per nonnullos dies commoratus est. Ex inferiori tandem Burgundia ad superiorem migravit; hujus metropolim Vesuntionem ingressus et in monasterio S. Vincentii hospitatus, avidos statim oculos conjecit in exhibitas a Monachis varias Chiffletiorum, nimirum Petri-Francisci, Joannis-Jacobi et Julii lucubrationes, quibus ejus Urbis, imo integri Comitatus res ecclesiasticas luculenter illustratatas fuisse deprehendit. Studiose quoque inter cetera ab iisdem Monachis accepit quæ de vindicato ab interitu, Julii Chiffletii et Joannis-Baptistæ Boisoti opera, Granvellianarum chartarum thesauro, jam Parisiis a Bernardo de la Monnoye narrata audiverat.

Suadebant cœnobitæ illi San-Vincentiani ne ex iis partibus Quirinus egrederetur, minime lustrato monasterio Condatescenci S. Claudii in monte Jura. Quod se eo libentius aditurum esse fassus est quod de ea re fidem suam ferme obstrinxisset Cardinali Destræo ejusdem Commendatario; at hiemalem tempestatem in causa esse subjunxit ut Lugdunensem viam quantocius assequi studeret, quo Avenionem ante Natalitia festa perveniret, quemadmodum Alamanno Salviato Apostolico in

(1) Commentarii, t. I, p. 225.

ea urbe Vice-Legato se facturum spoponderat. Insigniores tamen in iis tractibus Benedictinas Abbatias, nimirum Reomaensem S. Joannis, Tornodorensem S. Michaelis, Melundensem S. Petri, Molismensem S. Roberti, quin aliquot etiam Cistercienses et in primis Ordinis caput Cistercium ac Firmitatem percurrere non abstitit. De Abbatiæ Cluniacensis antiquitatibus quum sat multa Quirino constarent ex opere Andreæ Quercetani, *Bibliotheca Cluniacensis* inscripto, satius fore existimavit, si a Monachis illis, edoceretur de recentibus quas Cœnobium passum fuerat turbationibus, id est de instituta in eodem sanctiore observantia,de Breviario reformato, denique de nimia potestate, quam sibi in eo, imo in toto ordine, vindicabat Cardinalis Bullionius, Cluniacensis commendatarius (1).

Monasteriorum curiosior quam magnarum Urbium, biduum tantum Lugduni mansit, ejusque magnam partem in bibliotheca Collegii Soc. Jesu consumpsit.

Pedem Lugduno movens, non quidem Avenionem, ut constituerat, sed Genevam versus contendit. Novo huic consilio causam præbuit mirificus cœli favor qui hiemalem tempestatem in vernam converterat, necnon stimulus qui animo hærebat ex amissa, dum in Burgundia esset, Condatescensis Monasterii invisendi occasione. Quod ingredienti ei occurrerunt ascetæ, magno gaudio lætantes quod Quirino haud mediocriter comperta essent quæcumque de sacris hujus loci antiquitatibus Annales Mabillonii prodiderant. Quumque vero iisdem conscium se ostendisset dissidiorum quibus nuperrime, quædam instituta, obliterata diu, pio studio restitui jubente Destræo Cardinali, agitata fuerat eorum familia, aliqui e monachis ut plane ei causa innotesceret, famam quidem et venerationem S. Benedicti abbatis in Jurensia loca, postquam beatus Maurus istic hospitatus viduæ filium moribundum valetudini restituisset, permanavisse confitebantur, sed monasterium eorum ad Benedictinæ regulæ normam ab origine erectum fuisse haud ita pro certo habendum esse asserebant.

Quanquam a nonnullis Genevae benigne receptus, longe majorem in adeunda urbe Anneciensi, tot monumentis memoriam S. Francisci Salesii servante, voluptatem percepit. Sanctimonialibus Visitationis quas in ea Urbe S. Franciscus Salesius instituit, ipse Natalitia nocte, juxta earumdem ritum, Panem Eucharisticum manibus suis præbuit atque illas postea semel iterumque adivit, plurimam colloquiis materiam suppeditante eximia earum primæ Abbatissæ, Dominæ de Chantal, sanctimonia.

Ab Annesio tandem distractus, Vienna, Valentia et Arausica tantum trajectis, Avenionem, ubi binos menses cum Salviato, Apostolico in ea urbe vice-legato, transigere pepigerat, pervenit. Illud domicilium, præter assiduas cum Præsule confabulationes, oblectavit necessitudo quam junxit Quirinus cum Marchione de Bimard de la Bastie et cum

(1) Cf. Saint-Simon, t. IV, p. 110-111.

episcopo Caballicensi de Guion, quo comite loca illa in ejus Diœcesi sita percurrit, quibus tanta e Petrarchæ carminibus celebritas accessit. Ibi dum apud Salviatum versaretur Parisiis allatæ sunt a Boivinio, Renodotio, Dacerio, Turellio, Fenelonio, Destræo, de litterariis ac ecclesiasticis rebus scriptæ epistolæ, utrique jucundissimæ.

Hiemis clementia quæ viatori Lutetia Avenionem post multas ambages tendenti faverat, quum æque perseveraret, Februario mense an. 1714 desinente, effecit ut Quirinus a Salviato facultatem impetraret lustrandi partem aliquam Occitaniæ. Hæc fuit suprema Quirini per Galliam peregrinatio. Integram hebdomadam, Montispessulani, apud Antistitem, Marchionis de Torcy fratrem, transegit. In ejus Bibliotheca innumeræ prorsus sese obtulerunt Collectiones manuscriptæ de Occitaniæ provinciæ rebus, quarum copiam quum admiraretur Quirinus, per jocum suaviter ei præsul exprobravit quod aliquando Parisiis ipsi dixerat « se valde vereri ne quæ de illa meridiana Bibliotheca prædicabatur ad Vasconicam jactationem referenda essent. » Suadente Colberto episcopo, Biterras et Narbonam, ut quo modo Oceanus cum mari Mediterraneo junctus fuisset oculis inspiceret, adire decrevit. Quo reipsa portentoso opere in tantam admirationem Quirinus raptus est ut omnes Occitaniæ urbes, prope hunc canalem sitas, Tolosamque præsertim invisere voluerit. Ad irritum vero propositum cecidit; Avenionem repetens, in Urbe Nemausensi tantum constitit, quam illi commendabat, præter antiquorum monumentorum amorem, Flecherii episcopi memoria qui ante tres annos obierat.

Quo diuturnior fuerat Quirini in Avenionensi urbe commoratio, eo citius se expedire curavit e Provinciæ finibus unde propositum sibi erat in Liguriam navigare. Nusquam nisi in Forojuliensi Urbe et Lerinensi cœnobio diu versatus est; inter Lerinenses hebdomadam sanctam transegit; Fori Julii, cum Episcopo Andrea-Hercule de Fleury consuetudinem junxit; id maximopere avebat, quod Parisiis complures, et inter illos Cardinalis Destræus, testati fuissent Præsulis illius merita, ingenii præstantiam, mirificamque non theologicarum tantum rerum sed politiorum etiam litterarum peritiam. Tam bene utriusque mores convenere ut, ex his diebus usque ad Fleurii mortem, Forojuliensis Antistes, mox Galliæ moderator, et Italicus monachus, mox Cardinalis, certum epistolarum commercium habuerint.

Præsuli igitur vale amicissime dicto, Genuam tandem appulit Quirinus, paulo post medium mensem Aprilem anni 1714. Fere quatuor anni transierant ex quo Italiam egressus erat, tres ex quo Galliam primum intraverat. Vitæ prope dimidium impleverat; reliquum in eruditos labores et ecclesiastica munera erat dispertiturus.

CAPUT III.

DE QUIRINI, ROMÆ AGENTIS, VITA ET LABORIBUS (1714-1723).

Sunt qui fortasse minus laudent eam discendi eundo rationem, ut quæ, nova semper aliqua iterfacienti subjiciens, ejus animum dissipare et frangere possit. Quirino tamen adeo fuit utilis ut optime eum, ad illa quæ in reliqua vitæ consuetudine aut accepit aut suscepit, informaverit. Eruditis quidem laboribus, Gallia regressus, per decem annos qua si unice incubuit, primumque delatæ sibi in Comitiis generalibus Præsulum Casinensium, habitis Patavii anno 1714, provinciæ *Annales Benedictinos Italiæ* conscribendi (1).

Ad hoc opus absolvendum necesse erat ut Romæ diu Quirinus commoraretur. Nullus enim locus illi tot auxilia et commoditates suppeditare poterat : « Hanc in urbem, ut ait Lebeau, concurrebant simul Religio, Sapientiaque et Fortuna; quarum unam atque alteram tantum sequebatur; tertiam vero ultro occurrentem, nonnunquam aversatus est (1). »

Noluit tamen Romam se conferre priusquam Florentiæ Monachos Abbatiæ Sanctæ Mariæ, sodales suos dulcissimos, amplexaretur. Quirinus illorum erga se amorem non deferbuisse, maxima lætitia, expertus est. Sed cum haud minore dolore Florentiam nuperrime orbatam fuisse audivit tum Magliabecchio, tum Magalotto, quos ambos intime dilexerat. Ei tamen ægritudini solandæ ingenti adjumento fuerunt Salvinus et Bonarotius. Toto mense Novembri, quo in urbe fuit, nullus ferme dies effluxit quin eosdem seu adiret, seu admitteret.

I.

Romam demum, medio mense Decembri, ingressus est et ad ædes monasticas S. Callisti recta contendit. Quum Abbati Joanni Baptistæ de Miro exponeret quam libenter vacaturus foret contexendo operi quod illi Comitia Casinensia mandaverant, haud dissimulavit Abbas

(1) Cardinalis Destræus Quirino, Jul. 1714. Montfauconius Quirino, Jul. 1714 : « L'emploi d'historiographe dont votre congrégation vous a honoré vous donnera bien de la besogne. Votre histoire doit être tirée des Archives, etc. » Commentarii, t. II, p. 6 et 17.

(2) Lebeau, *op. cit.*, p. 221. — Card. Destræus Quirino, Comment. t. II : « Quelque esloignement que vous ayez pour le séjour de cette cour, vous ne pouvez travailler à cest ouvrage dans un lieu qui vous puisse fournir plus de secours et de commodités pour le bien faire que Rome. »

iste mirari se quodammodo hanc Quirini voluntatem, quandoquidem per decem et octo jam annos jugiter intentus suavissimis floribus legendis e latinæ græcæque litteraturæ viridario damnari se postea, veluti ad metalla, passus fuisset ad eruenda nimirum e monasticis tabulariis tenebrosæ antiquitatis monumenta (1). Quæ verba non alio modo declinanda censuit quam memorando præstantissimi Mabillonii Annales Benedictinos, qui maximam apud viros eruditos cujusvis gentis scriptori gloriam conciliaverant. Subdidit tamen se diligenter curaturum ut injuncto sibi munere fungens una simul horas aliquot nancisceretur quas amænioribus litteris dicaret, eoque magis quod opportunitas sibi daretur tanto magistro consentiente (Abbatem ipsum digito monstrabat) proficiendi (2). Favit quidem mirum in modum Quirini studiis, imprimis græcanicis, Abbas de Miro. Iisdem haud mediocriter opitulatus est Pater Leander Porzia, ea præsertim de causa quod ad invisendos eruditos Romæ degentes sese ducem illi præbuerit.

Principio quoque monasticas Quirini investigationes Clemens XI, ad cujus deosculandos pedes, Lancisii præsulis gratia, monachus noster admissus erat, singulari indulgentia juvit. Monuerat illum Lancisius ut ad Pontificem prima vice accedens paratas haberet quas a Fenelonio accepisset litteras, quod hasce libenter lecturus foret Clemens XI, adeo bene erga hunc Archiepiscopum animatus ut nil mirum si sacra Purpura quamprimum illum donaret. Litteras ergo secum detulit, easque simul ac stetit ante Pontificem, proferendi occasionem ille dedit. A capite usque ad calcem illas perlegit; postea vero eos de doctrina et pietate Fenelonii sensus e pectore depromsit, unde facile Quirino innotesceret cogitationem de illo Antistite ad Cardinalatum evehendo pontificia mente jam repostam manere. Eheu! post viginti dies nuntius Romam attulit Fenelonium e vivis excessisse.

Tribus hebdomadibus ante, obierat Cardinalis Destræus. Conceptum ex utraque calamitate a Summo Pontifice dolorem Quirino in ejus facie deprehendere expeditum fuit; at multo etiam apertius illum declaravit ejusdem oratio. Parum abfuit quin ultima Destræi epistola, in qua litterarum forma perturbata hominem jamjam apoplexia instante resolutum ostendebat, lacrymas eliceret ex oculis Papæ.

Quod ad Quirini laborem pertinebat, Pontifex illi *Collectanea de rebus monasticis* a Cornelio Margarino in plures manuscriptos tomos redacta et in Arce Castri S. Angeli servata communicari jussit. Hisce ut

(1) Commentarii, t. II, p. 50.

(2) His verbis collaudavit abbatem de Miro Quirinus in *Dissertatione de Monastica Italiæ historia conscribenda :* « Jo. Baptista de Miro, vir egregius, et interioris literaturæ, nemini in græcæ linguæ peritia secundus, tamque acri præditus ingenio, ut ad pervestiganda abdita quæque scientiarum apprime factus videretur. » In tom. I *Italorum erudit. præstant.* ubi recitatur Jo. Baptistæ de Miro Vita, ab auctore anonymo conscripta, narratur virum doctum Horatium Blancum Mediolani interrogatum quem Italum philologum Joanni Clerico celeberrimo comparari atque opponi posse existimaret, sine hæsitatione respondisse, Joannem Baptistam de Miro non minori doctrina et eruditione quam Clericum censendum esse; ingenii autem moderatione laudatissima, sapientisque animi virtute longe præcellere. »

adjungere valeret *Chronici Farfensis* (1) exemplar, Cardinalis Francisci Barberini humanitas effecit.

Amplissimam chartarum segetem colligendi copiam illi fecerunt peregrinationes quibus deductus fuit ad invisenda potiora Regni Neapolitani tabularia, videlicet Casinensia, Aversana, Neapolitana, Canensia (2). Nullus a nobis deposcat hoc loco in propatulo poni earum chartarum seriem, eoque pacto nostrum libellum in Tabulariorum descriptionem transformari. Satis erit si in sequenti quodam capite qua ratione et quo animo Quirinus opus suum duxerit indicaverimus.

Mense Aprili an. 1717, parte prima tanti laboris effecta, *Dissertationem de Monastica historia*, totius, ut ita dicam, operis vestibulum, Summo Pontifici et Casinensibus Comitiis obtulit illorumque binis Censoribus probantibus, vulgavit.

Quirinus præter id quod tanto operi insudabat, aliquo modo gravissimis negotiis, quibus tunc Ecclesia turbabatur, intererat. Nam, ob illius perfectissimam rerum gallicarum notitiam, sæpissime a Clemente XI, de Jansenistis, de Constitutione *Unigenitus*, de Parisiensis Archiepiscopi animo consultabatur ; nonnunquam etiam per duas horas cum illo collocutus epistolas consideratione dignas, præsertim a Noallio et Fleurio scriptas, jubenti Pontifici perlegit. Nullum quidem in ejus vultu aut verbis acrimoniæ vel acerbitatis erga Parisiensem Archiepiscopum, testante Quirino, conspexisses. Quare *ferreum pectus* Antistitis esse existimabat qui tam benevolis tanti Pontificis adhortationibus non commoveretur. Præterea Quirinus Curiæ Romanæ juribus ac sententiis omnino addictus et deditus erat. Sed amore erga homines quos noverat impulsus, Papam modeste et humiliter hortabatur ut temperantia et cunctatione, a primis consiliis non desciscens, uteretur, quamvis multi Cardinales, Pontificis indulgentiam graviter arguerent, identidem dicentes illum res perdere et hæresim, sicut incendium, non lenta et mitia sed præsentia atque efficacia remedia requirere. Hac temperantia vero res non perdidit sed servavit Clemens XI, quum jam eo processerant ut Regis Ludovici XV præceptor Fleurius *omnia timenda esse schismaque impendere* scribere posset (3).

Tantam in Sanctam Sedem pietatem patefecisse Quirino tamen nihil profuit. Jam prope erat ut ab illa gravissimam molestiam pateretur. Quam breviter narremus.

Quamvis e Collectaneis Cornelii Margarini et e Chronico Farfensi luculentas rerum Farfensium notitias sibi comparasset, nihilominus celeberrimum illud cœnobium invisere constituerat « quo plenius ex ipso fonte aquas potaret (4) ». Ibi ergo binis mensibus permanserat

(1) Inter cetera Italiæ monasteria *Farfense* potissimum olim splenduit, in agro Sabinensi et Ducatu Spoletano, ad fluvium Farfam situm et circiter quadraginta passuum millia ab ipsa Urbe Roma distans. Cf. Muratori, Scriptores rer. ital., t. II, p. II.

(2) De his peregrinationibus per neapolitana tabularia, Cf. Commentarii, t. II, p. 88-107.

(3) « Tout est à craindre et il n'y a qu'un pas à faire pour le schisme. » Fleurius Quirino. Octob. 1716. Comment., p. 113.

(4) Comment., II, t. II, p. 123.

plerasque diei horas insumens in veterum chartarum investigationibus, unde idoneus efficeretur, statim ac Romam remeasset, ad contexendum et in lucem edendum primum Monastici Italici volumen. Jam illud, in tres partes divisum, multisque magni pretii dissertationibus auctum, perscripserat; jam opus denuntiabant erudita Diaria, jam idem probaverat censor statutus, Carolus Majella, præsul doctrinæ; quum a Summo Pontifice ne in vulgus ederetur sancitum est. Timebat enim Clemens XI ne excitatæ de Comaclensi ditione contentiones magis incendi possent e nonnullarum Farfensium chartarum promulgatione (1)!

Tanto dolore affectus est Quirinus ut in morbum inciderit. Attamen paruit omnino Pontificis sensibus, adeoque firme perstitit in voluntate obsequendi illius imperio, ut ne hilum quidem ab eadem eum dimoverint adhibiti amicorum quorumdam conatus qui ad opus Venetiis, vel in Germania, vel in Gallia edendum Quirinum hortabantur.

Sed intellexit easdem difficultates æque obstituras ne aliorum Cœnobiorum, eorum præsertim quæ sita forent in Ditionibus pontificiis, seu etiam in Regno Neapolitano, veteres chartæ in lucem proferrentur. Absolute igitur, etsi invitus, Monastica Italica studia omittere decrevit.

II.

Ægritudinis haud mediocre levamentum attulit anni 1719 initium, quo Summus Pontifex Quirini prioribus studiis alia sufficere ipsemet voluit, ea quoque gravis momenti, et quibus adhibenda in primis foret græca litteratura quam a teneris annis excoluerat. Capto a Pontifice consilio de instituenda Sacra Congregatione, in qua ad examen revocarentur libri quibus græci aliæque Orientales nationes in propriis Ecclesiis rem divinam peragentes utuntur, ei Cœtui Quirinum adlegit. Jam ab eodem Papa Congregationibus addictus fuerat Indicis et Sacrorum Rituum (2). Novæ Congregationis hujusce Præfectum instituit Cardinalem Franciscum Barberinum et Secretarium Franciscum Antonium de Simeonibus. Cardinalibus nonnullis ac doctis quibusdam monachis todidem circiter Græcos eruditos adjunxit.

A principio in mentem Quirino venit græcorum librorum expurgationem nullo modo perfici posse, nisi veterum Codicum adjumento qui divinorum officiorum candidam ac primævam imaginem repræsentabant. Proposuit ergo Congregationi magnam ac completam Liturgicorum Græcorum librorum, veteribus manuscriptis consentaneam, editionem suscipere. Quum hoc consilium, observationibus quibusdam fretum, collaudavissent Quirini collegæ, nulla interposita mora, Codicum perscrutandorum labori se dedit.

Ex his quæ monasticis studiis, prona omnino submissione substi-

(1) Cf. caput II Partis III. Daunou, *loc. cit.*, p. 626.
(2) Commentarii, t. II, p. 119.

tuerat monachus noster, adductus est Clemens XI ad beneficentiam suam erga eum largius quam superioribus annis exercendam. Cogitavit enim de illo ad Abbatialem Ordinis Benedictini gradum evehendo, deinde de Episcopatu illi deferendo, denique de illo adscribendo S. Officii consultoribus, quo gradu donatus veluti arrham Cardinalatus recepisse communi judicio censeretur (1).

De Abbatiali gradu sat erit quum dixerimus Quirinum, studiorum amore, abfuisse a proposito immiscendi se Regularibus negotiis, quanquam ab Abbate Montis-Casini ad Procuratoris generalis munus amplectendum hortaretur, atque etiam Florentinæ Abbatiæ regimen sibi destinatum, antequam ejusdem possessionem iniret, volentem abdicavisse.

Bergamensem episcopatum eodem modo abnuit; jam in eo erat ut optato Consultoris S. Officii munere potiretur, quum repentina Clementis XI mors omnem illius spem præcidit eumque ad græcos codices servavit (1721).

Iisdem fausta admodum contigerunt novi Pontificatus exordia; namque Innocentio XIII, Sanctam Sedem vix assecuto, paratum habuit quem offerret Quirinus tomum primum illorum Officiorum cui inscriptio hæc inerat : *Officium quadragesimale recognitum et castigatum ad fidem præstantissimi Codicis Barberini, in latinum sermonem conversum atque diatribis illustratum.*

Experimento doctus, nihil prætermisit ad pollentium animos sibi conciliandos. Epistola Pontifici totum librum nuncupavit et Diatribas cum eodem compactas Bernardo-Mariæ e Comitibus, amplissimo S. R. E. Cardinali, et Innocentii XIII fratri germano. Tantorum Mæcenatum præsidio fultus, haud propterea negligenda censuit nova Censorum suffragia, quibus altera quoque ejus voluminis pars, etsi cum prima in unum corpus compacta, muniretur. Pater Benedettus Soc. Jesu in suo ita loquitur : « Multum offendi quod merito laudem, atque magnopere suspiciam, eruditionem nempe, judicium, utriusque linguæ græcæ et latinæ peritiam, in rerum abditissimarum, atque intra ultimæ Antiquitatis sinus latentium indagatione laborem improbum, in iis detegendis felicitatem, paremque in iis explicandis orationis copiam atque splendorem. » Tandem post multa suffragium suum his verbis absolvebat : « Quod reliquum est sapientissimo auctori annos et otium opto et precor ut bene cœptum opus cetera prolixum et plenum laboris pari felicitate ad exitum perducat (2). » P. Thomas Studendolius Ord. Minimor. et Collegii de Propag. Fide studiorum Præfectus, versionem et quinque Diatribas approbans, inter cetera scripserat : « Id nimirum grandis, ut aiebam, Præscriptionis viæ initium est, qua probe pergendo liturgicæ omnium fere firmiores Catholicorum Dogmatum de Eucharistia præcipue, aliisque Sacramentis, cultu sacrarum Imaginum, Beatæ Virginis aliorumque Sanctorum invocatione, Purgatorio, non

(1) Comment., t. II, p. 142.
(2) Comment., t. II, p. 154.

oppugnationes quidem Hæreticis, ut hi sibi falso plaudunt, sed probationes convictionesque firmissimæ Catholicis obveniant ac patefiant (1). »

Adeo honorificis Censorum suffragiis, duumque Summorum Pontificum patrociniis ac demum Congregationis non assensu tantum, sed plausu communicatum illud volumen adversantium cavillationibus materiam vel minimam præbuisse vix erit qui verisimile esse arbitretur.

Attamen suæ ei in perniciem verterunt cautiones; nam Præfectus ac Secretarius Congregationis de qua hic agitur, postquam comperissent Quirini labores ita Pontifici fuisse commendatos ut facile adduci posset ad credendum nihil obstare quominus recens instituta Congregatio illa desineret, invidia moti, omnia moliti sunt ut Congregatio ipsa suam auctoritatem interponeret, ne Quirino susceptum opus prosequi liceret donec ipsa in decernendis emendationibus, quibus vacaverat et vacatura foret, suo prorsus munere functa fuisset. Coactus itaque fuit imperfectum opus relinquere, ut statim judicavit dixitque, usque ad græcas calendas.

Ergo Curiæ Romanæ artificiis a recentiore labore, ut ejusdem politicis consiliis a priore, prohibitus, ne Romæ quidem diutius permanere voluit. Sed ad æquam mentem rebus in arduis servandam, in Sublacensi Cœnobio, deinde in Farfensi se conclusit; denique postquam Venetias, apud parentes recesserat, volumen edidit cui inscriptio inest : « *Vita Latino-Græca S. P. Benedicti;* » nulla Epistola dedicatoria, nulla præfatione anteposita, brevi duntaxat hoc Elogio præfixo :

DIVO BENEDICTO
LITTERARIUM SUBLACENSIS SECESSUS FRUCTUM,
EIDEM IN SACRA EJUS CRYPTA
VOTO ADDICTUM,
PIETATIS, GRATIQUE ANIMI
ERGA SANCTISSIMUM PARENTEM ATQUE MAGISTRUM
MONUMENTUM
DICAT ET OFFERT
ALUMNORUM AC FILIORUM INFIMUS.

Ex adversa sorte quam Romæ perpessa fuerant illius studia et Cardinalis Cornelii, Patavini Antistitis, interitu, nova quædam rerum facies sese Quirino spectandam exhibuit; nam quotquot Romæ reliquerat amicos ominati Episcopales infulas capiti ejus non defuturas, quas acciperet hortati sunt. Ad Corcyrenses revera a Summo Pontifice reservatus erat. Eas tamen non nisi suadentibus amicis imo auctoritate compulsus, ut liquebit e sequenti capite, accepit.

(1) Comment., t. II, p. 156.

CAPUT IV.

DE QUIRINO CORCYRENSI ARCHIEPISCOPO.

1723-1727.

Mente prorsus pacata, fatorumque veluti immemor quæ utrumque miserum illum fructum monasticorum et græcanicorum studiorum acerbe jactaverant, totum se dedit « animo his sensibus imbuendo qui unice decerent hominem Pastoralibus muniis brevi initiandum (1). »

I.

Romano igitur itinere suscepto, Urbem ingressus est, desinente mense Octobri anni 1723, et curam omnem impendit ut intra sesquimensem ab iis omnibus quæ incumbunt designatis episcopis Italis se expediret. Non tantam tamen festinationem adhibuisse nobis videtur quantam prædicat, nec multo magis Corcyrensium gratiam blanditiis captavisse; admissus enim apud Innocentium XIII, animi sui ægritudinem exposuit, quod commigrandum sibi foret ad obeundum Episcopale officium in iis regionibus quæ vasto aquarum tractu ab Italico continenti sejunctæ et e communis Christianorum hostis vicinia omni tempore sollicitæ ac proinde militiæ, cum terrestris, tum maritimæ strepitu undique agitatæ, non quidem artium studiorumque sed armorum sedes viderentur.

His ipsis verbis in pastorali epistola ad Corcyrenses data hanc sententiam professus est. Initio referebat se ne Abbatis quidem munere fungi voluisse, tanto studiorum amore ardebat, et ab adolescentia se iisdem maxime dedisse; præterea scribebat : « Quæ res animos nostros statim ac ejuscemodi Electionis decretum innotuit, magnopere perculit, parumque abfuit quin amaras illas querimonias usurparemus quibus Gregorium Nazianzenum traditum sibi a Basilio Magno Sasimorum Episcopatum amoliri studuisse memoria retinebamus. Eam mentis ægritudinem atque perturbationem ad sacros Supremi Pontificis pedes, ut primum illos exosculari datum est, tristes admodum adduximus ac filiali reverentia aperuimus. Verumenimvero Sanctissimus Pater propensa admodum voluntate, ob ea ipsa studia quæ excolue-

(1) Comment., t. II, p. 167.

ramus, ac præsertim græcæ linguæ intelligentiam, a se Corcyrensem Ecclesiam nobis committi significans, ea dictorum efficacia jacentem animum erexit atque confirmavit ut illico in virum alterum commutati non pavorem tantum atque mœstitiam omnem depulerimus, sed præterea gaudio illo nos perfusos senserimus quod Beatus Jacobus in Epistolæ suæ exordio Fratribus maxime commendavit : « Omne gaudium, inquiens, existimate, Fratres mei, cum in varias tentationes incideritis, scientes quod probatio fidei vestræ patientiam operatur; » cui concinit Pauli illud in priore ad Corinth. cap. X : « Fidelis autem Deus qui non patietur vos tentari supra id quod potestis, sed faciet etiam cum tentatione proventum ut possitis sustinere. » Demum e Pontificis præsentia dimissi ejusdem Apostoli verba, dum Jerosolimam tenderet, ac tribulationes quæ eum ibi manerent Fratribus illum ad navim deducentibus prædiceret, ceu Sacerdotali robore ex alto superinduti, sæpius ingeminavimus, Actorum cap. XX recitata : « Nihil horum vereor, nec facio animam meam pretiosiorem quam me dummodo consummem cursum meum et ministerium verbi quod accepi. » Hæc vobis, Filii dilectissimi, Grex dominice, quem Episcopatus nostri cura complectitur exponenda reputavimus, ut quo animo ad injunctum munus gerendum accedamus intelligatis. Animo inquam utique alacri ac omnino disposito ad ea omnia obeunda atque perferenda, quæ Pastoralis sollicitudinis ratio deposcet. Interim Apostolicum illud monitum ad Roman. cap. XII vobis (quos circumstat Græcorum copiosa multitudo. Act. XIV) cum primis commendamus : « Nulli malum pro malo reddentes, providentes bona non tantum coram Deo, sed etiam coram hominibus. Si fieri potest quod ex vobis est, cum omnibus hominibus pacem habentes (1). »

Illud, non sine magno negotio comparatum, gaudium jugiter prætulisse Quirinus asserit, toto eo tempore quo Romæ perstitit, adeo ut haud mediocriter mirarentur quicumque in Urbe haberent comperta quæ de rebus Quirini Clemens XI beneficentissime ante binos duntaxat annos cogitaverat. Inter ceteros Card. Paulutius se dolere semel iterumque affirmavit quod e Bergamensium collium altitudine delapsus fuisset in aquarum profunda (2).

Ad res Diœcesis suæ discendas et præsertim ad quærendum de ratione agenda cum Græcis aliquod amplius tempus contulit. Omnes Quirino suaserunt ut illos maxima benevolentia complecteretur. Cardinales Ptolemæus et Salernus, Latinum Clerum cum illis etiam in Divinis communicare posse novo Archiepiscopo affirmaverunt, quamvis in ea

(1) Primordia Corcyræ. Appendix, p. I, ed. 1733. (30 Mens. Novembri, 1723.) Typographus Rizzardus, Quirini inter omnes assentator, Pastorales ejus ad Corcyrenses Epistolas in Appendice operis cui inscriptio « Primordia Corcyræ » collegit, de quibus sic loquitur : « Facient ad exhibitam ab Eo in gubernanda Corcyrensi Sede sollicitudinem satis clare demonstrandam Documenta, quæ in unum studiose a me collecta offero in hac appendice tibi, Lector, *Sacra Corcyræ Primordia* jure et merito appellanda, cum contineant (ut viri harum rerum periti mihi affirmarunt) recens initam rationem, et viam ad retinendam innocue in ea Insula consuetudinem, quæ ibi viget Latinos inter et Græcos sacris in rebus. »

(2) Comment., t. II, p. 170.

Insula Græcorum Præsul litteras quibus sacra ipsi potestas demandabatur non ab Apostolica Sede, sed a Græco Patriarcha Constantinopolitano accipere consuevisset. Pollebat quidem Salernus peritia rerum græcanicarum, cujus præclarum argumentum præbuerat in libro, *Specimen Orientalis Ecclesiæ,* a se edito. Retulit is Quirino dissertationem se confecisse de licito Latinorum cum Græcis in sacris commercio, curaturumque, ut ad illius manus adveniret.

Roma jam dicessurus Corcyrensis Archiepiscopus iterum Pontificem adiit, a quo benignissime habitus, saluberrima quædam monita accepit.

Non Corcyram tamen profectus est priusquam, Venetiis, per binos menses, omnia ad iter necessaria paravisset et serenissimi Ducis Mocenici consilia audivisset. Nono aut decimo die mensis Martii (1724), ad Ecclesiam suam tandem « advolavit ».

Hydrunti, quum jam navem conscensurus foret, insonuit repente auribus Quirini publica vox ad supremum Pontificatum, mortuo Innocentio XIII, Card. Vincentium-Mariam Ursinum, Archiepiscopum Beneventanum, evectum fuisse. Doluit Quirinus cecidisse sortem super virum sibi ne facie quidem notum dum Cardinales fere omnes *Papabiles* (ut Romæ dicitur) familiariter noscere contigisset. Beneficentissimam tamen erga Quirinum Benedictus XIII voluntatem patefacturus erat.

II.

Corcyram appulit Archiepiscopus, medio circiter mense Junio, an. 1724. Ut primo Episcopalis palatii tecta subiit, e Canonicorum relatu ntellexit triste quidpiam imminere Vicario Capitulari. Hic enim graviter commotus adversus militum audaciam qui nuperrime e Templo majori, se præsente, per vim extraxerant hominem qui ad illud confugerat fruendæ immunitatis causa, non eos tantum divinæ maledictioni obnoxios declarasse ferebatur, sed quædam præterea verba protulisse, quibus supremum etiam rei militaris in ea Insula Præfectum, Andream Cornelium, Patricium Venetum, percellere voluisse censeri posset (1).

Hæc prima se Quirino aperuit occasio monita exsequendi quibus ab Innocentio XIII instructus fuerat. Curam itaque cepit ut res ista tranquille componeretur.

Revera ita evenit, litterasque Roma accepit quæ illi testatæ sunt Pontifici et Congregationi Immunitatis Ecclesiasticæ grata fuisse quæcumque in eo negotio peregerat. Lenem et facilem expertus erat supremi ejusdem Præfecti animum, et donec in imperio permansit, expertus est. A Quirino petiit Cornelius ut solemnem benedictionem,

(1) De hoc negotio, cf. Comment., t. II, p. 185 sq.

juxta libri pontificalis ritum, impertiretur iis propugnaculis quæ recens ipse in Arce Corcyræ construenda curaverat. Prompte admodum assensit, actaque fuit ea Cerimonia cum ingenti celebritate, ut cui interfuerit summus ipse Præfectus et insuper concursus Patriciorum Venetorum, quotquot scilicet senatus jussu nauticis rebus præpositi erant, seu, hisce magistris, tirocinium, viridi omnino ætate, ponebant.

Latinos cleros sæpissime hortabatur ut cum magistratibus et ducibus quam optime convenirent, necnon hos illis imitandos proponebat : « Hi, aiebat, vitæ commoditates ac delectamenta quibus Venetiis perfrui possent, florenti ætate deserentes, in Corcyram se conferunt, ut militaribus laboribus se dedant, ac proinde Patriæ suæ amore ducti incommodis quibusvis et ipsius vitæ periculis intrepidi se offerant. Ea incommoda atque discrimina dum alacriter adiri conspicio ab egregia illa juventute vel horridioribus anni tempestatibus, vel mari atrociter sæviente, adeo ut maximo honore affectus is inter ipsos censeatur cui a Supremo maris Præfecto demandetur bellica aliqua extraordinaria procuratio plena periculi ; dum hoc, subdebat, conspicio, non admirandi tantum occasionem capio inclytam meorum Civium virtutem, sed hanc etiam in exemplum propono Corcyrensi clero meo ut ipse, et ego quoque, intelligamus quam valde distent ab ea virtute plerique Ecclesiasticæ militiæ alumni, quippe qui ita muniis suis satisfacere consueverunt, ut una simul vivendi dulcedinem quam maxime persequantur. Quam valde dedecet militiæ politicæ addictos nec vitæ ipsi parcere et id quidem ut corruptibilem coronam accipiant ; nos vero quos manet coronæ immarcescibilis præmium, vitæ jucunditatem summopere adamare (1). »

Quomodo se gesserit erga Græcos, quod supra dictum est maximam curam Corcyrensibus archiepiscopis attulisse, explicat abunde hæc Epistola quam, suadente Cardinale Ptolemæo, dedit ad Benedictum XIII.

« Equidem, Beatissime Pater, tam amplam in isto cum Græcis negotio facit mihi Dominus misericordiam dum aspera in vias planas convertit, ut regiminis hujus sarcina, quam maximopere humeris nondum suppositis formidabam, suavis jam et levis videatur, quocirca alia etiam hujusce Sedis incommoda, videlicet magna ab Italiæ continenti sejunctio, perhorrescenda Ottomanorum vicinia, imminens contagionis, cui Orientalis hæc regio maxime patet, periculum, (quorum imago cum olim oculis meis oberraret, gravissimo mœrore pressus, valedicto Romanæ Sedis servitio, cui a multis annis studia mea pluribus titulis mancipata mirifice gaudebam, huc appuli) ea, inquam, et alia hujusce generis incommoda animum meum in præsentia non modo non conturbant, sed ne leviter quidem afficiunt.

« Certum itaque Sanctitati Vestræ affirmo, Græcos hujus Insulæ,

(1) Comment., t. II, p. 188.

quos Decessores mei adversus dignitatem ac potestatem suam Latinique gregis commoda protervos admodum atque feroces experiri visi sunt, modo, benedicente Domino, perinde ac si ingenium aliud induerint, non tantum ab ea protervia multum abesse, sed observantiam erga me suam, ne dicam morigerationem, apertioribus in dies argumentis declarare : quæ cujusmodi sint in litteris ad Cardinalem Ptolemeum fusius deduxi. Inter quæ plurimi faciendum reputo morem regnantis pro tempore Romani Pontificis laudes in aula Episcopii bis in anno decantandi longe solemnius quam antea instauratum, cum illi celebritati magnus Græcorum Præsul interesse non amplius dedignetur. Novum vero ac prorsus singulare propensæ erga me voluntatis documentum iidem Græci paucis abhinc diebus exhibuerunt, dum ad primarium eorum Templum sancto Spiridioni dicatum, non privatim, quemadmodum proximiores et Decessoribus meis facere cogebantur, sed publice, uti veteres plerique omnes, græco ipso Magistratu deducente, accedens, adeo honorifice exceptus sum, perinde ac si ad Cathedralem meam Ecclesiam accessissem. Adfui siquidem ibi cum Cathedra, cum Throno, cum Cruce Archiepiscopali erecta, dum græcus Præsul exigua in sede consideret, ea ipsa quam veteres Decessores mei occupantes, illius tantum loci honore contenti esse jubebantur. Nec defuit recitata ex suggestu a celebriore inter ipsos oratore, græco idiomate, Oratio qua accessum illum meum mirifice celebrarunt. Pro comperto habemus, Beatissime Pater, ipse atque una mecum quotquot in hac Insula degunt, insuetam hanc Græcorum erga Latinum Antistitem observantiam, post Deum Optimum Maximum, primo deberi summæ illi venerationi quam Sanctissimo Beatitudinis Vestræ nomini, ejusque immensis virtutibus profitentur; eoque magis quod iisdem certo constet a Sanctitate Vestra græcum ritum singularis dignationis prærogativa honorari. Aliquatenus etiam deberi non negem tenui illi, quam a teneris annis comparavi, græcæ linguæ intelligentiæ, ex qua idoneus reddor græcos Patres in ipso fonte consulere, ac pro modulo meo interpretari, et insuper in annunciando e superiori loco Dei verbo (quod omnibus generatim diebus, quibus Pontificaliter celebro, facere institui, fecique per integrum proxime præteritum Adventum) græcos textus, græco ipso idiomate pronunciare, unde ejus gentis, quæ frequentissima una cum Latinorum grege ad eas conciones concurrit, plausus et benevolentia mirum in modum mihi conciliatur. Demum debetur rationi illi, quam pro devinciendis primariis militiæ Ducibus, quorum hodie sedes Corcyra, inivi; si qua enim cum illis de libertatis et immunitatis Ecclesiasticæ tuitione intercedit controversia, omni ope enitor ne ea ad apertam simultatem erumpat, ac, Deo opitulante, in spiritu lenitatis tantum proficio, quantum asperitas Græcis ipsis prodesset; quippe qui ut ex lugubri præteritorum temporum documento constat, non aliam opportuniorem Latinos insectandi occasionem captare consueverunt, quam hujusmodi dissensionum inter Sacerdotium et Imperium. Eam tamen mansuetudinem ita profiteor ut

una simul paratum me quisquis intelligat acrius pro Ecclesia certare, et me ipsum pro ea murum opponere, quoties cognovero hoc ad ovium salutem et Christi gloriam expedire, etc. (1). »

Epistolam tandem concludebat apostolicum oraculum exquirendo de Græcorum ordinationibus quas Magnus Insulæ Præsul (Protopapa) ab Athanasio græco Metropolita peragi in eadem curabat sub oculis Latini archiepiscopi : « Ægro animo decessores mei ferebant Antistites Græcos huc quod sæpe et sæpius contingit adventantes, Clericorum suæ gentis ordinationes ita sibi vindicare ut nulla in eo negotio Latinorum Archiepiscoporum ratio haberetur, illatumque ea licentia potestati suæ vulnus quoquo modo, at incassum, avertere conabantur. Paucis abhinc diebus Athanasius græcus metropolita quo in eisdem ordinationibus administro Magnus ejus insulæ Præsul uti consuevit, ut primum accepit hac in re pares mihi esse cum Decessoribus meis sensus, eos illico reveritus palam professus est, nullas sibi in Ordinationibus partes sumpturum, nisi mea quoque accederet assensio; ac proinde in utrumque se esse paratum vel omnino ab Ordinationibus abstinere, vel eas non tam sua, Magnique illius Præsulis, quam mea auctoritate peragere. Demirati sumus omnes insuetam prorsus invisamque huic genti erga Latinum Antistitem subjectionem; majoremque adhuc admirationem commovit, quod eam ipsam Græcorum præsul lubenti animo ratam habuerit ac insuper declaraverit neminem imposterum suis litteris pro Sacris Ordinibus in hac Insula recipiendis munitum iri, ni prius Græcum Antistitem ad id muneris mea quodammodo delegaret voluntas. Verumenimvero, B. P., quamvis subjectio ista grata mihi admodum contingat, ad quam nimirum omni studio Decessores mei aspirarunt, nec eam consequi unquam valuerunt, videor tamen mihi in scopuloso difficilique loco versari, dum penitus ignoro an expediat græcis ordinationibus in hac Insula aditum omnem præcludere, vel earum potestatem illius gentis Præsulibus facere, cum debita erga Latinum Archiepiscopum reverentia. Ut tamen Sanctitati Tuæ verum fatear, postrema hæc conditio animo magis meo arrideret (2)... »

Hanc sententiam Pontifex transmitti Quirino jussit opera Cardinalis Ptolemæi : « Præclaras, inquit, virtutes Fraternitatis tuæ cum generis ornamentis et exquisita litterarum doctrinarumque, sacrarum præsertim, cognitione conjunctas, ad Ecclesiæ tibi creditæ utilitatem plurimum profecturas jam antea pro certo habebamus. Hanc autem jucundissimam persuasionem amplius Nobis affirmarunt litteræ tuæ, quibus Græcorum istic degentium erga te studia et singularem obsequii alacritatem nunciasti. Quam quidem ad Catholicæ veritatis et unitatis fructum caritati et vigilantiæ tuæ viam aditumque munere non dubitamus. Quod vero de eorumdem Ordinationibus Apostolicæ nostræ servitutis officium requirendum censuisti a dilecto nostro de hac Sancta Sede egregie merito Joanne Baptista S. R. E. Cardinali Ptolemæo ac-

(1) Primordia Corcyræ, Appendix, p. IV.
(2) Primordia Corcyræ, Appendix, p. IV.

cipies, quo te pacto gerere debeas, ut tuam nobis solertiam et Christo Pastorum Principi Episcopalem vigilantiam adhuc probare possis (1). »

Scriptum quoddam mittebat Ptolemæus de quo ipse dicebat totam rei materiam continere ac summam Epistolarum Pauli III, Clementis VII et Leonis X. Cujus operis doctissimum scriptorem jam superius nominavimus, nimirum Cardinalem Salernum (2).

Assumptam a Quirino regiminis rationem commendavit Congregatio Concilii Tridentini interpres et vindex (3); nec minores plausus ab heterodoxis ipsisque philosophis, ob tolerantiam et lenitatem, obtinuit Corcyrensis Archiepiscopus (4).

III.

Quanquam officio religiose ac diligenter fungebatur aliisque animum firmis consiliis addebat, ipse tamen quasi exsularetur nihil antiquius habebat quam ut barbaram diœcesim italica permutaret. Quum deplorata jam foret, primis mensibus anni 1725, Petri Barbadici Venetiarum Patriarchæ salus, Quirini consanguinei cogitarunt de eo ad cathedram illam promovendo; senatus autem Marcum Gradonicum, Episcopum Veronensem, virtutibus insignem, renuntiavit; tunc nec Quirinus, nec ejus consanguinei ullo modo passi sunt ut ipse inter candidatos nominaretur.

Attamen quum incommodos valetudini suæ expertus erat, primo anno Corcyrensis domicilii, caniculares ejus Insulæ calores, statuit eam per binos menses relinquere, postquam scilicet Festum S. Jacobi Apostoli, Cathedralis suæ titularis, celebrasset. Fausta igitur navigatione ante finem Julii ad littus Hydruntinum pervectus, Lycium adire constituit. Hic incubuit libri cujusdam editioni cujus inscriptio futura erat *Primordia Corcyræ.*

Mense tantummodo Novembri Corcyram regressus, hiemalem tempestatem assuetis occupationibus vacans insumpsit, et, vix ineunte mense Maio, instante quam maximo visitandorum Sacrorum Liminum desiderio, Hydruntum rursus navigavit. « Sponsam tamen, inquit, quæ mihi obtigerat adeo unice adamabam ut Cardinalis Imperialis, teste Dominico Georgio ejus Bibliothecario, palam sæpius affirmaverit me omnium primum ex Italis Episcopis Romam adiisse, qui se beatum Ecclesia profiteretur quam sibi divina sors objecisset (5). »

Hæc autem divina bonaque sors effecit ut, dum Italiam rursus permearet Quirinus, e vivis decederent Cardinales Ptolemæus et Pau-

(1) Primordia Corcyræ, Appendix, p. x.
(2) Idem Cardinalis ad catholicam fidem, anno 1712, Augustum, Saxoniæ Electorem, converterat.
(3) Primordia Corcyræ, Appendix, p. XI.
(4) Cf. Daunou, loc. cit., p. 628. — Lebeau, p. 221.
(5) Comment., t. II, p. 208.

luccius; ipse a Benedicto XIII, probissimo et moris antiqui observantissimo, tanta benignitate tractatus est ut admirandi locus sit, nisi appareat Quirinum apud summum Pontificem valuisse non splendore nominis, sed contemptu bonorum eorum quibuscumque inhiare solent plerique, promptissimoque ad respondendum subito de rebus improvisis ingenio. Adde quod inter eos fuit quædam, studiorum et vitæ communi genere, cognatio. Cujus gratia Quirinus aliquid de operibus semel atque iterum interruptis narrare intimo colloquio ausus, extemplo a Papa stomachante ob tot injuste et moleste perpessa, jussus est libellos scribere ut novo examini utraque causa subjiceretur. Scripsit Quirinus; scriptos vero optime quidem, pontifici tradere abstinuit, ne, ut solet dici, crabrones irritaret.

Nam quum nova ac majora in dies Pontificii erga Quirinum favoris exempla ederentur, crescebat invidia eorum quos sua utilitas malignos jamdiu fecerat. Consilium igitur cepit Archiepiscopus Corcyram sponsam revisendi.

Summus autem Pontifex hoc vehementer rejecit, quamvis illum supplicibus istis verbis oraret : « Quotquot, Pater Sancte, eximias tuas virtutes admiramur, eas quoque æmulari pro modulo nostro debemus. Quot et quanta sunt insignis amoris documenta quæ tribus Ecclesiis suis, nimirum Sipontinæ, Cesenatensi, Beneventanæ, exhibere omni tempore consuevit Sanctitas Tua? Sinat ergo ut ego quoque celeri cursu ad Sponsam meam properando, brachia mea ejus collo circumjiciam et per bimestre aut trimestre intervallum cum ipsa cohabitem! » Contra Benedictus XIII Quirinum sibi Beneventani itineris suscepti comitem assumpsit. Erga eum crevit Pontificis amor, quum ex lectione *Enchiridii Græcorum*, quod Beneventanis typis vulgatum illi Quirinus obtulit tum e tabellæ dono, æneis formis cusæ, Pontificis effigiem, libros ab eodem conscriptos, sacras cæremonias peractas, viros tandem ejus agnatos exhibentis, totque res hoc disticho continentis :

Ursini effigiem, libros et gesta, genusque
En collecta simul parva tabella tenet (1).

Vix Romam regressus, Mauroceno Brixiensi Episcopo defuncto, e Corcyræa ad Brixianam Ecclesiam Quirinus translatus est, altera die Iulii 1727. Paucis interjectis diebus, munere Consultoris S. Officii exornatus est; denique, ante finem ejusdem anni, inter Cardinales adscitus, rubro pileo condecoratus est (die 26 Novembris an. 1727) (2).

(1) Comment., t. II, p. 237. — Vita a Coleto scripta, p. IX.
(2) Comment., t. I, p. 258, sq. — Coleti, Præfatio, p. IX — Lebeau, loc. cit., p. 222.

CAPUT V.

DE A. M. QUIRINO, S. R. E. CARDINALE, BRIXIENSI EPISCOPO ET VATICANÆ BIBLIOTHECÆ PRÆFECTO.

1727-1755.

Pervenimus ad quoddam culmen quod Quirini posteriorem a priore vitæ parte dividere videtur; nam ex quo Brixiam translatus est usque ad mortem, id est per viginti octo annos, tempus atque operam, in eadem urbe, episcopalibus muneribus litterarumque cultui tribuit, tam æqua portione ut nunquam, quod timendum fortasse videbatur, prima secundis postposuerit.

I.

Brixiam, Sacramenta Paschalia suis cum ovibus peracturus, ingressus est medio Martio anni 1728.

Ecclesia major, ut nunc inter splendidissima Italiæ templa annumeratur, sic quondam per centum et viginti annos trunca pependerat. Ergo, nondum perfecta, consenuerat, et circumjacentes passim lapides, velut ingentis ruinæ strages, ante oculos obversabantur. Quibus novus episcopus ubi primum urbem introiit conspectis, thesauros reficiendo templo aperuit, apertos nunquam clausurus. Populum allocutus est suum; quem sæpissime deinde ipse vigenti quadam et lacertosa eloquentia edocuit. Ea voce jubente, commoti sunt lapides, crevere ædificia in tantam quidem amplitudinem ut plures annos consumpserint.

Anno 1739, nova quædam libido ea suscipienti contraria fuit; civium enim junioribus placuit ut ingens theatrum adstrueretur; quo consilio fieri non posset quin opum, quibus sacra domus egebat, fontes exhaurirentur. Eodem ergo impetu motus quo beatus Ambrosius olim quum de Victoriæ ara ageretur, pascali die, in mediis missæ solemnibus, ecclesiam cum theatro dum comparat, attonitos audientes tanta tamque insolita dicendi vi perculit, ut, profano consilio omisso, majore quam antea studio divina ædes instaurata fuerit (1).

Quum pro certo haberet quemadmodum sine pietate doctrinam non

(1) Lebeau, *op. cit.*, p. 223. — Comment., t. III, p. 27, 40, 63, 179, 186. — Inscriptio, ad æream tabulam apposita.

solum esse inutilem sed, ut plurimum, obesse, ita pietatem sine doctrina non esse magnopere utilem, novis suam Ecclesiam colonis augere voluit.

Presbyteros qui *Missionis* vocantur, Cremona adscitos, una cum aliis qui Brixiæ degebant, sacræ vineæ cultores adhibuit, ut uberiores in dies ex ea fructus perciperet (1). Dum ipse diœcesim lustrabat, piissimum Salesianarum Virginum asceterium in oppido Darfensi ante paucos annos, singulari Vallis Camuniæ bono condi cœptum, firmavit, collato annuo proventu centum circiter nummum aureorum quos Brixiano episcopo ea pendebat regio (2).

Quam animi liberalitatem expertæ quoque sunt posterioribus annis Visitationis Moniales Salodii quibus illud concessit vectigal quod Brixianis episcopis ea debebat Riperia (3).

Ad studia vero clerorum fovenda Florentia et Patavio duos ex Ordine clericorum regularium accersivit viros, quibus seminariensem tradidit severioribus disciplinis instruendam juventutem (4).

Ut clericalis militia de officiis sibi injunctis plane edoceretur, libellum inscriptum *Bilancia del Chericato*, quem, Beneventi jussu Cardinalis Ursini impressum, Clericorum institutioni admodum opportunum deprehenderat, Brixiæ per episcopalem typographum rursus imprimi jussit (5). Manum etiam ipse admovit ad proponenda Brixianis domestica exempla quibus cum sacra tum profana quovis ævo floruit Brixianorum litteratura. Quamobrem quatuor venerandæ antiquitatis hujus Ecclesiæ Episcoporum, S. S. nimirum Gaudentii et Philastrii, B. Ramperti et venerabilis Adelmani scripta in unum collecta fuisse, eo cultu Pauli Galeardi laboribus ornata, ut parem nulla alia jactare possit italica Ecclesia editionem Quirini laudibus tribuendum est, qui et opportunos e Gallia Germaniaque codices mss. describi curavit, et pecuniam omnem suppeditavit, et luculentissima epistola Clementi XII volumen nuncupavit (6). Ut vero ad politiores litteras vehementius excolendas Brixianorum animi excitarentur, opus in lucem emisit : *De Brixiana litteratura renascentium litterarum ætate*, quo ante eorum oculos proponebat præclaros majorum suorum labores, quibus, typographica arte vix inventa, in omni ferme liberalium floruerunt studiorum genere (7).

Perinde ac si tot vincula ad eum Brixiano domicilio colligandum satis valida non forent, arctius iisdem adstringendis accessit for-

(1) Comment., t. III, p. 66; Coleti, p. IX.

(2) Comment., t. III, p. 70. Præsulis liberalitatem numisma perennat, cujus aversa pars istam continet Epigraphen : Salesianæ | Moniales | In Valle Camuna | Ex cessis sibi | Ejus Ducatus annonis | Ab Antistite suo | Anno MDCCXXIX, institutæ | Ad paris regulæ | Cœnobium | In tractu Novariensi | Instituendum | Advocantur | Anno jubilæi | MDCCL. |.— Cf. Coleti, p. XIV. *Ibid.* p. 314. Epist. XLIV Rudolpho Kieslingio.

(3) Coleti, p. IX.

(4) Coleti, Præfatio, p. X.

(5) Comment., t. III, p. 96.

(6) Comment., t. III, p. 153 sq.; cum epistolis Quirini ad Clementem XII et nonnullorum doctorum virorum ad Quirinum de hac editione.

(7) Comment., t. III, p. 167.

tuitus occursus nominis Francisci Barbari, dum tomum vigesimum octavum Ephemeridarum litterariarum, quarum auctor Cl. Apostolus Zenus, evolvebat. Illius igitur Patricii Veneti præstantissimi, Brixianæque urbis, a Mediolanensium Duce oppugnatæ (1438), defensoris invicti, epistolas e tenebris eruendi consilium cepit (1739). Sed, quanquam curis ita oblectabatur istis ut cum eo litteræ non solum pernoctare, rusticari, set etiam novo verbo *episcopari* dicerentur sacra tamen negotia multo acrius animun stimulabant, cui rei certissimo sunt argumento tot pastorales epistolæ, tot conciones, tot sollicitæ per diœcesim cursationes (1).

Nec magis pro nihilo ducebat Cardinalis quæ de universæ Ecclesiæ commodis munera erant suscipienda; Romam itaque bis singulis annis adire solebat. Quum, anno 1729, Urbem ingressus esset, exhibitæ illi fuerant cardinalis Noallii, ante complures menses mortui, litteræ quæ delituerant in aliquo officinæ angulo, cursualibus epistolis servandis constitutæ. Doluit vehementer propterea quod argumentum complecterentur cujus subita promulgatio e re Fidei orthodoxæ maximopere fuisset. Jansenistæ enim nonnulli contendebant Noallium acceptationem Constitutionis *Unigenitus* actu quodam, a Curia episcopali Parisiensi emisso, mense Februario an. 1729, revocavisse. Confodiendæ hujusmodi calumniæ nihil efficacius Noallii litteris, Quirino scriptis, quæ datæ fuerant die 21 Mart. ejusdem anni (2).

Exsiliit prodemodum gaudio Benedictus XIII ut primo ejus oculis documentum istud subjecit Quirinus, fusisque lacrymis eidem chartæ mille oscula dedit, ac denique mandavit ut illa statim typis committeretur. Quod impediverunt repentina mors Benedicti XIII et gravissima negotia quæ ex morte illa supervenerunt. Eam mortem amaris lacrymis defleverunt quotquot Religionis bonum sincero corde, inter quos Brixiensis archiepiscopus, exoptabant (3).

II.

Concordibus conclavis suffragiis Petri cathedram, die 12 Julii, conscendit Laurentius Corsinus, Florentinus, ea utique dignus. Ubi primum motus erat sermo de tiara illi deferenda, in hunc modum quicumque aderant lacrymando fuerat allocutus : « Ætati meæ nihil optandum superest, nisi ut illa tranquillo fine absolvatur, sinite, quæso, ut in posterum unice vacem bono isti assequendo. » Lacrymis madere eum viderant, dum suffragiis in Pontificatum allegeretur (4).

Inter prima pontificatus quem egregie per decem annos, Clementis XII nomine assumpto, administravit, gesta, Quirino committere

(1) Coleti, p. 10, Epist. III Cardinali de Fleury, p. 314-316, Epist. XLV Bernardo de Frankenbergh, Abbati monasterii Desertinensis. Coleti, Præfatio, p. X.
(2) Hæ litteræ editæ sunt in Commentariis, t. III, p. 42-43.
(3) Comment., t. III, p. 46.
(4) *Ibid.*, p. 56.

voluit Vaticanæ Bibliothecæ Præfecturam, quæ eo tempore ex morte Cardinalis Pamphilii vacaverat. Tam insignem erga Quirinum beneficentiam exercendi causam præbuerunt studiorum amor et peritia, quibus enitebat. Hoc munus accepit, tantum in eam conditionem ut Romæ perpetuo hærere non cogeretur, sed simul Brixiani antistitis cura defungi posset. Cui rei assentiri dignatus est Summus Pontifex. Non defuerant tamen qui Clementis XII deliberationem parum probarent perinde ac si timendum foret ne Venetus cardinalis, pro sua erga patriam pietate, studiosius aliquando quam oporteret in Vaticanos codices inquireret, et ex iis expiscari satageret quæ parum Romanæ Curiæ rationibus faverent; iidem memorabant malitiose susceptos a Quirino labores in Chartarum primo Farfensium, deinde in græcorum Officiorum Editione. At maleficam hujusmodi voluntatem represserat Pontificis sapientia, nec illum rei pœnituit; nempe exspectationem Clementis XII de collata in se Præfectura Quirinus non solum implevit, verum etiam superavit donatione selectissimæ librorum suorum suppellectilis, in Vaticanam Bibliothecam inferendorum, quos postea, solutis mille romanis scutis, postliminio revocavit, ut publica Quiriniana ditaretur bibliotheca (1).

Quirinum, præter Bibliothecarii munus, in Urbem deduxit Patriæ auctoritas (ab Octobri 1732 usque ad Majum 1734). Nonnullæ enim controversiæ inter Summum Pontificem et Senatum Venetum ortæ erant quas primum, ut vera dicam, haud ita feliciter composuit Quirinus (2); rebus tandem bene succedentibus (3), a Josepho Rocco Vulpio Soc. Jes. iis versibus laudatus est,

Cum tot sustineas distenta negotia curis,
Et Venetas simul et Romanas simul in Urbe
Res consignaris nuper, ne scissa senatus
Pectora cum Patre Pontificum, ac disjecta manerent,
Sed quæ dissiluit quondam male sarta, coiret
Gratia quo rursum, non ullis dissoluenda,
Temporibus dubiis, longum mansura per ævum,
Te nunc, Veronæ quæ fertur Brixia mater,
Detineat sacris noctuque diuque vacantem
In grege tam vasto lustrando; nonne verebor
Publicus esse reus, si in publica commoda peccem,
Et mea te terris furetur Epistola Princeps, etc.

Etsi per sesquiannum sustinenda illi fuerant tot tantisque (ut Vulpii verba usurpem) distenta negotia curis, attamen opportunum etiam

(1) Comment., t. III. p. 56-61. Coleti Præfatio, p. IX; Daunou, loc. cit., p. 627 et Lebeau, p. 225; hi tamen errant quum distinguunt libros Vaticanæ et Quirinianæ datos; errat quoque de numismatum donatione Lebeau, p. 225; Coleti, p. 10-12; Epist. IV, Cardinali Corsino; p. 14, Bibliothecarii S. R. E. an possint cum ea præfectura conjungere episcopalem curam alicujus Ecclesiæ. Series eorum qui utrumque munus conjunxerunt. Epist. VI Card. Corsino. Comment. Contin., t. I.

(2) Comment., t. III, p. 75-83. — Fleurius ad Quirinum, 3 Mart. 1733 : « Je suis fâché par toutes sortes d'endroits que votre premier pas dans la carrière politique n'ait pas été heureux. »

(3) Fleurius ad Quirinum, 4 Jan. 1734.

tempus nactus erat pluribus aliis occupationibus vacandi, architectonicis quidem, ad nobilitandam aream palatii S. Marci, habitationis Venetis cardinalibus, sacræ ædis ejusdem sancti titularibus, assignatæ, ornandasque insuper sacras ædes S. Marci, S. Gregorii, Sæ Praxedis et S. Alexii (1); ac demum litterariis, in edendis operibus S. Ephrem Syri: novam enim aggressus erat e mss. Vaticanis codicibus eorum editionem, diligentia usus et eruditione Josephi Simeonis Assemani, Vaticanæ Bibliothecæ secundi Custodis, illiusque Patris Benedicti Maronitæ Soc. Jes. quocum in Florentino Cœnobio olim consuetudinem junxerat (2).

Quum tamen hæc a Diœcesi Quirinum removerent et undique Brixiam, seu sacram, seu litterariam, spiraret, nemini mirum videbitur, Brixiensem Archiepiscopum frequentibus ad Romam peregrinationibus finem imponendi atque etiam Vaticanæ Bibliothecæ præfecturam omnino abdicandi cogitationem concepisse. Quam animo versans, Romam profectus est mense Octobri 1739 (3). At Summum Pontificem lecto decumbentem, infirma corporis et mentis valetudine languentem quum invenisset, ea de re omnino siluit Brixiamque repetiit.

Tribus post mensibus, nuntium accepit Clementem XII, die 6 Februarii 1740, diem supremum obiisse. Statim in animum induxit Quirinus Romam quam serius fieri posset proficisci, adeo parum sollicitus de parte aliqua habenda in Pontificiorum Comitiorum negotio, ut felicem se reputaret, si eo jam perfecto Urbem ingrederetur. Quare per duos et amplius menses tranquille Brixiæ substitit, nec antea Romanum iter suscepit quam Paschalia Festa in Æde sua Cathedrali celebrasset. Romam tantum advenit initio mensis Maii et per octiduum in Palatio S. Marci moram duxit. Existimabat enim electionem Pontificis ad solos Cardinales Romæ degentes attinere; quia Romanorum Pontificum Constitutionibus injunctum legitur, ut elapso post mortem Pontificis *Novemdialium* intervallo, Cardinales quotquot Romæ adsunt, absque mora in Conclave se abdant, curentque statim, aliorum Cardinalium adventu minime exspectato, electionem Pontificis suffragiis suis perficere, vel primo ipso die qui eosdem septis illis concluserit. Attamen nonnullorum et præsertim Fuscareni Legati Veneti consiliis pulsus, Conclave ingressus tandem est. Secum ferebat magnam librorum et codicum Mss. copiam quibus posset iis horis quas Comitialis actio reliquas ipsi faceret, in assueto pulvere versari, integrumque tunc composuit de Pauli II gestis et vindiciis librum (4).

(1) Comment., t. III, p. 84, sq. — Coleti, p. 250. Epist. XXXV, Viris Clarissimis in Regiam Parisiensem Academiam Inscriptionum, etc.

(2) Commentarii, t. III, p. 90.

(3) Comment., t. III, p. 250. — Coleti, p. 3. Epist. I, Benedicto, P. P. XIV.

(4) Comment., t. III, p. 262-275; Coleti, p. 3. Epist. I, Benedicto P. P. XIV; p. 12. Epist. III Cardinali Corsino; Daunou, *loc. cit.*, p. 628. Hoc opus a Cardinale de Fleury « Noctes Vaticanæ » dictum.

III.

Ut primum Comitiorum suffragiis suprema dignitas in Benedictum XIV collata fuit, die 17 Aug. 1740, ille Card. Quirino statim honorificentissimis verbis aperuit se arbitrari e re Sanctæ Sedis maxime fore si, Brixiano episcopatu abdicato, Romæ domicilium figeret. Imo, postera ipsa die a suscepto Pontificatu, eum Sacræ Indicis Congregationis Præfectum renuntiavit (1).

Verum neque Albanensis Ecclesiæ decore, cujus assequendæ facultas tunc ipsi obtigerat, neque Patavinæ multo ditioris et commodioris quam Brixiana, neque ulla alia ratione passus est se abduci a dilectissimo Sponsæ sinu (2). Quocirca duos post menses, petita a Pontifice venia, in ejusdem amplexus convolavit.

Ab electione Benedicti XIV, consuetis occupationibus, crescente in dies erga Deum et Ecclesiam pietate totum se dedit; illi, sive scriberet, sive ageret, maxime cordi fuere conservatio et incrementum Fidei catholicæ; jam, divino quodam ardore impulsus, Diœcesis suæ fines latius propagavit; operibus enim et epistolis Germanos Ecclesiæ Evangelicæ addictos ad Catholicam convertere conatus est. Eodem tempore (1741) epistolas typis impressas mittere cœpit clarissimis totius Europæ viris, urbanis salibus aspersas, eruditione refertas, illatis etiam sive suis, sine aliorum Opusculis (3).

Illud Cardinalis Valerii effatum alta mente quum haberet repostum : Cardinales amplissimo quem obtinent loco splendorem addere non mediocrem, si libros scribant populo Dei utiles, quibus hæreses confutentur, nec alia verius ratione probare se posse Romanæ Ecclesiæ filios et Summi Pontificis fratres, illud etiam studiorum genus in se desiderari non est passus. Secum itaque ipse reputans, e rerum divinarum ignorantia pravisque Cleri moribus, ceu ex gemino fonte, Protestantes argumentum elicere, quod Achilleum vocant, unde veterem suorum a Romana Ecclesia secessionem tueantur, hoc cepit consilium ut nonnullorum Romanæ Ecclesiæ procerum, ea ætate florentium, et mores castissimos et profundam in rebus sacris peritiam in quodam quasi theatro collocaret (4). Quum igitur ea mente Vaticanos codices versaret, nondum editæ Cardinalis Reginaldi Poli, aliorumque ea tempestate in Ecclesia Romana magni nominis Virorum Epistolæ occurrerunt, quibus ad utramque eam rem nihil accommodatius obvenire poterat. Primum tomum, anno 1744, in lucem emisit. Spatio deinde

(1) Coleti, p. I. Epist. I, Benedicto P. P. XIV.
(2) Lebeau, *loc. cit.*, p. 225.
(3) *Ibid.*, Coleti, Præfatio, p. x. Quirini Commentarii cum electione Benedicti XIV finem habent. Ab hoc anno usque ad Quirini mortem, Continuationem Frederici Sanvitalis S. J. replicabimus (2 vol. in-8° ; Brixiæ, Rizzardi, 1761).
(4) Coleti, Præfatio, p. XII.

decem annorum integram perfecit earum Epistolarum collectionem in quinque tomos distributam, quorum postremo ultimam manum jamjam admoventem inopinata prævenit mors (1).

Sequente anno, egregium opusculum eduxit cui inscriptio : *Imago optimi sanctissimique Pontificis expressa in gestis Pauli III Farnesii ad primos quinque annos ejus Pontificatus spectantibus* (2).

Hac percitus cupiditate Ecclesiam Evangelicam convertendi, neglectis quibuscumque devexæ ætatis viarumque incommodis, non aversatus est in ipsum Germaniæ sinum penetrare, ut de religionis statu certior fieret et ad nonnullorum consuetudinem adduceretur. Reipsa multas extremis suæ vitæ annis peragravit Germaniæ urbes, ubique locorum spargens liberalitatis, doctrinæ, pietatisque monumenta. Anno 1747, Helvetiam et Rhetiam percurrens, Ensildense Monasterium petiit quod ea regione celebre admodum est B. Virginis cultu, ut non dubitaverit Quirinus litteris ad quemdam suorum Familiarium « Germaniæ Lauretum » appellare (3). Ad San-Gallensem urbem tandem appulsus, atque ab ejus Monasterii Abbate regia magnificentia exceptus, quatuor ibidem dies moratus est, quo tempore vetusta celeberrimi Monasterii monumenta perscrutatus multum percepit voluptatis. E S.-Galli monasterio digressus Curiam, quæ Rhetiæ princeps Urbs est, ubi Statuum Comitia celebrabantur, se contulit. Per vallem Chiavennam et Larii lacus oras denique rediit.

Anno 1748, Valle Sabbia permensa, administratoque de more Confirmationis Sacramento, post bidui iter, in Tyrolensem provinciam venit et Meranum primum apud Patres Benedictinos Classium ibi publicarum rectores divertit; tum ad Mariæmontanum Monasterium perrexit. Inde Campidonam iter agressus est. Quos, toto octiduo quo in Campidonensi monasterio moratus est, cum Monachis sermones Quirinus habuerit ex ejus litteris discimus, alteris ad Abbatem ipsum illius monasterii, alteris ad Serenissimum Principem Hassiæ Lantgravium Augustanæ Urbis episcopum exaratis (4). Eo omnes collineabant ut tuendæ Religionis et bonarum litterarum colendarum studium magis magisque accenderent; eadem se ratione etiam gessit in iis colloquis quæ cum aliorum ad quæ deinde se contulit Cœnobiorum alumnis instituit. Ursinense, Ottoburanum, Ochsenausense, Weingarthense et Isnense, Sueviæ Monasteria, vicissim adivit. Singulorum Bibliothecis dono dedit suarum *Polemicarum Epistolarum octo Syllogen*, quas unum in corpus compactas secum afferebat, cui dono cohortationem etiam quamdam adjungere solitus erat ut diligenter illas

(1) Coleti, Præfatio, p. XI. — Comment. Contin., t. I, p. 143 sq. — Coleti, p. 179 sq. Epist. XXVII Claudio Bozio; *ib.*, p. 235. Epist. XXXV, Viris Clarissimis in Regiam Parisiensem Academiam, etc.; *ibid.*, p. 412. Epist. XLIX Jacobo Breitingero.

(2) San-Vitalis Continuatio, t. I. Coleti, p. 243. Epist. XXXV. Viris clarissimis in regiam Parisiensem Acad., etc.

(3) Continuatio, t. I.

(4) Coleti, p. 453. Epist. LIV. D. Engelberto de Ainsirgenstein Abbati Monasterii Campidonensis; *ibid.*, p. 456, Epist. LVI, Serenissimo Principi Hassiæ Lantgravio, etc.

evolverent haberentque armamentarii instar ad Memmingam præsertim oppugnandam; ita loquebatur quod eam Urbem, ubi Schelhornius, inter Heterodoxos doctissimus, degebat, cœnobia illa propemodum circumcingerent (1).

Schelhornius Ottoburæ festinato adfuit eo ipso die quo illuc Cardinalis advenit, tribusque horis continenter cum eo collocutus est.

Animus illi erat recta in Italiam contendere, quamvis eum ad se vocarent Bavariæ Monasteria, excitassetque jam antea ad ea perlustranda Præses Generalis Congregationis Bavaricæ, Abbas Weissofontanus. Sed quia temporis angustiæ ut exspatiaretur latius minime patiebantur, unum Etalense monasterium adire decrevit, eique cœnobio flammis vastato mille florenos addixit in refectionem (2).

Quum tamen Bavariam non ex omni parte percurrisse ægre ferret, ejusdem anni 1748 mense Septembri, se rursus in viam dedit. Duodecim insigniora Benedictini Ordinis Cœnobia invisit, ac vehementer lætatus est quod pietatem ac litteras in iisdem diligenter excoli certius intellexit. Quoniam in Tegernseensi, seu San-Quiriniano, et in Sant-Emmeramensi, seu Ratisponensi, non brevis unius tantummodo lucis, sicut plerumque in reliquis, sed tridui et amplius moram traxit, pluribus expertus est documentis amborum familias præstantem operam in theologica disciplina collocare. Opinatus est ergo parem in ceteris congregationis Bavarico-Benedictinæ monasteriis morem vigere. Quæ fides crevit quum illi innotuit eamdem Congregationem eximios Professores omni tempore ministrasse Salisburgensi Athenæo et vicissim inde repetere consuevisse clarissimos Doctores, nullamque ab ipsa curam omitti, quo magis magisque in eo splenderet litterarum gloria.

Inter obeundum Benedictina Cœnobia, Quirino Danubias oras perambulanti grate admodum occurrerunt Universitates Ingolstadiensis primum, deinde Dillingana. Dillinga Augustam reversus, perrexit ad urbem Lanspergiam, quo in loco erant tironum Jesuitarum Ædes; inde progressus est ad Monasterium Weissofontanum, et Etalensi Asceterio demum se restituit; istud constituerat peregrinationi Bavaricæ et initium et finem fore (3).

Duos ante annos (1746) permiserat Angliæ Rex ut qui Gœttingæ inerant Catholici libero Religionis suæ exercitio uterentur. Itaque eo legatus fuerat, Missionarii apostolici nomine, P. Jordanus Benedictini Ordinis. Sesquianni spatio jam officio strenue inserviebat, nullo ad sui reique sustentationem stipendio ad eum usque diem recepto, nec sperabat quidquam a Catholicis Gœttingensibus pro ipsorum paupertate conferri posse. Imperiales quingentos quos industria sua sibi adquisiverat, quo tempore Corbeijæ theologiam ac sacros ca-

(1) Coleti, p. 458. Epist. LVI, Serenissimo Principi Hassiæ Lantgravio, etc.
(2) Coleti, p. 460. Epist. LVI, Hassiæ Lantgravio.
(3) De hac peregrinatione Bavarica, cf. Coleti, p. 494, Epist. LIX, Cardinali de Alsatia; p. 499, Epist. LX, eidem Cardinali; p. 508, Epist. LXII, Benedicto P. P. XIV

nones explicaverat, jam omnes absumpserat; atque adeo nihil illi erat reliquum unde necessaria vitæ ac muneri tuendo præsidia peteret. Ad has angustias redactus ad Card. Quirinum tanquam ad commune asylum perfugit, ut quod opus erat ad anni saltem unius alimenta ab illo impetraret, interim dum annuum stipendium sibi ab Apostolica Sede decerneretur (1). Nec vero frustra rogari se Quirinus passus est Itaque ad Patrem Missionarium ita rescripsit : « Libenter amplector, quam mihi offers, Pater admodum Reverende, occasionem quoquo modo juvandi Apostolicam istam Missionem. Quare per litteras ad Sanct. Dom. Nost. datas enixe Eumdem precatus sum, ut stipendium a Sacra Congregatione de Propaganda Fide Tibi constitutum a Te desiderari nullo modo patiatur; et præterea in animum induxi bis centum florenorum summam de meo interim suppeditare, etc. (2). »

Pecuniam quoque contribuit in ædificationem templi Catholicorum Berolinensis; eidem templo mille aureos nummos erogavit; suscepitque consilium illam summam Berolinum deportandi suisque manibus sacri illius ædificii Curatoribus offerendi (3).

IV.

Attamen, ut Heterodoxos adigeret ad confitendum se ab Ecclesia Catholicorum injuria defecisse, scriptis præsertim confidebat. Cum nonnullis igitur inter Protestantes doctis et sapientibus controversias instituit; exempli gratia nomen proferamus Jacobi Willelmi Feverlini, Publici Gœttingensis Professoris. Hujus observationes varias in Augustanæ Confessionis articulos præ manibus habebat. Contendebat Quirinus non raro Catholicis doctrinam attribui ab ea longe diversam quam profitentur. Exemplum sumpsit a doctrina de *Fide et Bonis Operibus*. Nulla est frequentior accusatio quam illa qua Catholicos Protestantes traducunt tanquam meritorum Christi contemptores totamque fiduciam in bonis cujusque operibus collocantes. « Nostros, scribit Feverlinus in Augustanæ Confessionis artic. XX (qui est de Fide ac Bonis Operibus), doctrinæ Evangelicæ instauratores indolem bonorum operum recte explicasse, quod nimirum a Deo præcepta esse in internis, in amore Dei et proximi, in patientia, in non concupiscendo consistere debeant. Concionatores autem Pontificios olim de his parum docuisse, tantum puerilia et non necessaria opera, ut certas ferias, certa jejunia, fraternitates, peregrinationes, cultus sanctorum, rosaria, monachatum et similia ursisse. » Nihil autem dici magis falsum longiusque a communi Catholicorum sensu et fide abhorrens ostendit Cardinalis noster, productis Pauli III Apostolicis litteris, quas ex Ambrosiana

(1) Coleti, p. 464. Jordani Epist. Card. Quirino.
(2) Coleti, p. 463. Quirini Epist. Jordano.
(3) Coleti, p. 517 et 555. Epist. LXIV et LXXI, Samueli Formejo, Regiæ Scientiarum Litterarum Academiæ Borussicæ Secretario Perpetu

bibliotheca illi Saxius communicaverat ubi Pontifex juxta Ecclesiæ Catholicæ sententiam Concionatores monet de modo quo Fidei dogmata proponere et populum ad pœnitentiam, fiduciam in Christi meritis ac pietatem omnem excitare debent (1).

Cum heterodoxis summa urbanitate semper agebat, cujus ipsi testimonium libenter omnibus præstabant (2). Ita, non nihil occupationis illi attulere, anno 1748, litteræ quas Suevici itineris occasione, vel paulo ante discessum, vel in ipso itinere, vel post reditum, a præcipuis Germaniæ litteratis acceperat, quas cum omnibus humanitatis, obsequii ac benevolentiæ erga ipsum significationibus redundarent, ut gratum animum auctoribus animum suum ostenderet, publicas esse voluit, atque in unum veluti fasciculum collectas Brixianis typis vulgavit hoc titulo : *Specimen humanitatis qua Eruditi quidam Germaniæ heterodoxi prosecuti sunt suevicum iter a Dom. Ang. Mar. Card. Quirino peractum anno* 1748. Quibus litteris Præfationis veluti loco aliæ præmittuntur, quibus de constabilienda Gœttingensi Apostolica Missione agitur (3).

Anno 1750 ineunte, quo fideles passim omnes, universalis Jubilæi occasione, ad S. S. Apostolorum limina visitanda Romam evocabantur, Quirino cum sponte ut quædam animo jampridem concepta opera ad exitum perduceret, tum vero etiam Venetæ Reipublicæ imperio ut gravissimis quibusdam negotiis de Patriarchatu Aquileiensi, cum Pontifice maximo, Reipublicæ nomine, expediendis incumberet, festinandum fuit. Itaque, mense Februario Romam devenit, ubi tum toto hoc anno, tum consequentis parte aliqua moram traxit, quam unquam alias diuturniorem.

Jam Benedictum XIV exoraverat ut occasione Jubilæi parænetica Epistola invitaret heterodoxas nationes ad repetendum catholicum ovile (4). Quoniam vero ipse diutius sibi Romæ sistendum intelligebat, ne tempus a studiis vacuum tereret, manum admovit libro perficiendo ac vulgando : « *Injustæ secessionis ab Ecclesiæ Romanæ sinu jam damnati in Epistolis dogmaticis Ang. Mariæ Quirini Sanctæ Romanæ Sedis Bibliothecarii, Indicique librorum vetitorum Præfecti, horum temporum Sectarii, Lutherani, præsertim, nunc ejusdem Cardinalis cura edito earum Epistolarum delectu, ad ovile Christi revocantur excurrente anno Jubilæi per S. S. D. N. Benedictum XIV celebrati. Præmittitur confutatio scelestissimi libelli adversus ejusdem Jubilæi sanctitatem Germanica lingua nuperrime evulgati.* »

Nihil intactum, nihil intentatum reliquit ut ad Ecclesiæ sinum revocaret duos a Benedictina Familia sodales suos, Georgium Rothfischerum in Ratisponensi Sancti-Emerani monasterio Theologiæ professorem et Æmilianum Jordanum, Apostolicum Gœttingæ Missiona-

(1) Coleti, p. 509. Epist. LXII, Benedicto P. P. XIV.
(2) Coleti, p. 322. Epist. XLVI. Catholico æquoque lectori. Cf. Daunon, *loc. cit.*, p. 628.
(3) Coleti, p. 466. Index Epistolarum quæ hoc libello continentur. Sequuntur XXI pistolæ ab Heterodoxis Quirino missæ.
(4) Coleti, p. 543. Epist. LXIX, Benedicto P. P. XIV.

rium, qui ad Protestantium castra transfugerant. Neque vero frustra omnino laboravit. Jordanus enim, gravissimis litteris acceptis, adeo fuit perculsus ut non multos post menses resipuerit atque Helmstadiensi Sacrorum Canonum cathedra abdicata ad suos redierit (1).

V.

Curis quoque litterariis, per totum hoc temporis spatium incubuerat Quirinus. Collectionem epistolarum Francisci Barbari perfecerat diatribisque illustraverat. Platonicis, in Vaticana Bibliotheca, codicibus excussis et expensis, collegerat locos ubi Plato de Supremo Numine disserit, et cum iisdem codicibus contulerat (2).

Vetus itaque ac pervulgata est controversia an Platoni de S. S. Trinitatis mysterio quidquam suboluerit. Affirmantem opinionem tueri aggressus est Quirinus (3). Rogante Hermanno Samuele Reimaro, in Hamburgensi Lycæo publico professore, antiquissimi Vaticani Codicis Dionis Cassii specimen exhibuit totamque Falconis editionem cum hoc manuscripto contulit ac recognovit (4).

Nihilo ad se minus pertinere arbitratus est Bibliothecæ custodum diligentiam exacuere atque opportunis monitis studia dirigere, qua de causa eos curavit duabus epistolis excitare ad S. Ephræm Syri editionem maturandam (5). Septem Scriptoribus Bibliothecæ totidem supranumerarios seu coadjutores addi voluit cum futura spe ad illorum successionem (6).

Ipse demum, ut præclarissimis exemplis commonstraret quam recte, quam sancte cum Pastoralibus curis studiorum labores componantur notabile opusculum scripsit Benedictoque XIV nuncupavit : « *Monumenta litteraturæ Episcoporum Venetæ ditionis qui Francisci Barbari ætate floruerunt* (7). »

Anno denique 1749, historicum de rebus suis Commentarium typis mandavit.

Nulli mirum videbitur plerasque Europæ academias hominem adeo litteris addictum suis honoribus dignum existimavisse. Prima Quirinum Parisiensis Academia Inscriptionum Socium cooptaverat, anno 1743. Gratiarum loco epistolam ad novos Collegas exaraverat qua sua per Galliam itinera descripserat atque omnium litteratorum hominum, quorum consuetudine atque alloquiis profecerat, honorificam commemorationem instituerat (8).

(1) Coleti, p. 577, 584, 587; epist. LXXVIII Gergorio Rothsfichero et LXXIX et LXXX Æmiliano Jordano.

(2) Coleti, p. 17; epist. VII, Bernardo Montfauconio.

(3) Coleti, p. 26. Epist. VIII, Præsidi Generali Congreg. benedictinæ Sancti-Mauri.

(4) *Ibid.*, p. 291. Epist. XL, Hermanno Samueli Reimaro.

(5) *Ibid.*, p. 679. Epist. CII, Custodibus et Scriptoribus Vaticanæ Bibliothecæ.

(6) *Ibid.*, p. 680. Epist. CIII, eisdem.

(7) Insertum in Epist. XII Quirini Benedicto XIV, Coleti, p. 45.

(8) Coleti, p. 116. Epist. XXIV Viris clarissimis, etc. Hujus synopsis in *Eruditorum Diario* nserta fuit, 1743.

Pariter, anno 1745, in Cortonensem Academiam cooptatus est, atque insuper delatus illi fuit ejusdem Principatus (1).

Tribus annis postea, in Berolinensem Scientiarum ac Litterarum Academiam (2), et in Incognitorum Litterariorum Austriacam Societatem adscitus est (3). Anno 1749, jussu Elisabethæ Augustæ totius Russiæ imperatricis et communibus totius Petropolitanæ Academiæ suffragiis Academicus Card. Quirinus renunciatus fuit. Eodem anno, Regia Rupellensis Academia Socium honorarium Card. Quirinum adlegit ac diplomati litteras omni officiorum genere refertissimas adjecit quibus non solum Secretarius perpetuus sed Academici prope omnes nomen suum apposuere. Anno 1750, academico cœtui Florentino quem *a Furfure* appellant adscriptus est. Academia quoque Gryphiswaldensis, anno 1751, eum in suis Sociis accensuit. Accedunt Academiæ Conimbrinsis, Bononiensis, Florentina Columbaria, Florentina della Crusca, etc., etc., quæ omnes honori sibi et gloriæ duxere virum doctissimum, totaque Europa eruditionis fama notissimum, suum in cœtum cooptare. His Academiis fere omnibus, grati animi sensus testaturus, aliquam Epistolam latinam, vel etiam Epistolarum Decadem, inscripsit Quirinus (4).

VI.

Inter hæc studia tam assidua, tam laboriosa, tam varia, nunquam, etsi libris immerso, regendæ Diœceseos cogitatio Card. Quirino intercidebat; gregis sui commoda in oculis semper ferebat, atque ecclesiasticorum præsertim hominum mores, ut ii essent quales ordinem illum decent, præcipua quadam cura intendebat. Quapropter, anno 1744, ad Vicarios Foraneos reliquosque Curiones pastorales litteras sapientissimis præceptis redundantes dedit. In his postquam commemoraverat quod a se identidem præscriptum fuisset, tum ut Clericos minus morigeros ad meliorem frugem revocaret, tum ut provideret ne adolescentes minus idonei in Ecclesiasticum Cœtum irreperent, eadem mandata pastoribus inculcabat, iisque præsertim qui in Urbe animarum curam gerebant (5).

Quod ab aliquo tempore meditabatur consilium de erigendo Brixiæ ad normam Augustini Ecclesiasticorum collegio, cœpit intentius agitare. Hoc demum, anno 1749, juxta rusticationis episcopale Palatium, erexit, omniaque providit ne in tanta adolescentium multitudine non pauci minus considerate ad sacros Ecclesiæ ordines suscipiendos admitterentur. Ipse illos interrogabat illorumque compositiones scriptas legebat. Ne autem adolescentes clerici nimia quadam erga Pastorem

(1) Coleti, p. 251. Epist. XXXVI.
(2) Coleti, p. 455. Epist. LV.
(3) Coleti, p. 540. Epist. LXVIII.
(4) Comment. Contin., t. II, in fine.
(5) Cure sacre e letterarie, p. 150.

suum reverentia absterrerentur, suavibus eos verbis excipiebat unde vel timidiores animum sumere possent.

Jam publicæ utilitati Bibliothecam eleganter constructam donaverat; libros a se datos Bibliothecæ Vaticanæ pretio non minimo redemerat, ut eo pacto et in Vaticanam Bibliothecam munificus et erga Brixianos suos beneficus esset. His accessit aliorum haud minor copia quæ apud se Card. Quirinus habebat, quæque Romam nondum transmiserat (1).

Quum abbas Desertinensis Sondrini, quod est præcipuum Vallis Tellinæ oppidum, aperire gymnasium meditaretur, in quo omne doctrinarum genus traderetur maximo totius Vallis emolumento, ubi non aliæ habebantur publicæ Scholæ quam Ponte et Burnici ubi P. P. Soc. Jesu Grammaticam ac Litteras humaniores tantum docebant, tria florenorum millia obtulit, si res ad exitum perduceretur, ex quorum annuo proventu adolescentes duo studiis imbuendi alerentur.

Anno 1747, pii quidam Viri ecclesiastici quinque et viginti privatam societatem inierant, cujus cura atque institutum esset pauperum calamitatibus succurrere. Ut autem quod ipsi privato studio moliebantur stabilitate in posterum non careret, Cardinali libellum supplicem porrexere quo ab eo efflagitabant ut leges ipsis conderet quibus societas perpetuo regeretur, atque ipso adnitente Romanæ alicui sodalitati aggregaretur, cujus Privigeliis atque Indulgentiis frui posset; et, quod caput erat, ut ejus ope suprema Principis auctoritate firmaretur. Societas illa coalescere non potuit; non proinde tamen Card. Quirinus manum ab opere subduxit, sed quam obtulerat pecuniæ summam, id est scutata mille, pauperibus sacram esse voluit (2).

A germano fratre Francisco Quirino, Ædium D. Marci Procuratore, hæres fiduciarius circa idem tempus institutus, et auctus annuo censu bis mille et amplius aureorum, hunc unum, victu cultuque sibi parcissimus, tulit ex tanta hæreditate fructum, ut et pauperibus largius opitularetur, et sacrorum Ædificiorum constructiones et ornamenta quæ splendide paraverat splendidius prosequeretur (3).

Brixianos denique multis Pastoralibus Epistolis docebat, inter quas nonnullæ etiamnunc exstant aliquo studio, ut mihi quidem videtur, dignæ.

Alteris inculcabat, quoad temporum ratio ferebat, quadragesimalis jejunii observationem (4); alteris injungebat ut fideles omnes, eique præsertim qui ditiores essent, large pauperibus succurrerent (5). Interdum pravam consuetudinem evellere conabatur; sic, in tradenda doctrina christiana, imperiti quidam magistri commentariis multis catechismum

(1) Deca di Lettere Italiane. Lett. VI. Coleti Præfatio, p. xi. — Garbelli, Brixia : La Biblioteca Quiriniana. Brescia. 1882.

(2) San Vitalis Continuatio, t. II.

(3) Coleti Præfatio, p. xi.

(4) De Jejunio multæ Pastorales Quirini Epistolæ supersunt, Cf. San Vitalis Continuatio. 1741, etc.

(5) Lettera pastorale ec. per eccitamento al soccorso de poveri. Brescia, 17 Dec. 1749.

adornabant; anno 1743 Quirinus edictum vulgavit quo præcepit ut contenti essent unice efficere ut pueri ad litteram memoriæ mandarent quæ catechismo continentur; eorum enim uberior explicatio non cuicumque sed Parochis ac doctioribus tantum viris incumbit (1).

Interdum etiam aliquam doctrinam definitione explicabat, sive de festivis diebus, sive de spectaculis, sive de libris prohibitis.

Clarissimus Præsul, Borgia, Firmianus Archiepiscopus, primus Festorum diminutionem petierat, a qua maxime abhorrebat Card. Puteobonellus, Archiepiscopus Mediolanensis, Quirini metropolita. Plurimis et acribus litteris Quirinus argumenta D. Borgiæ diluere contendit, hanc etiam controversiam non solum ad Ecclesiasticam disciplinam sed et ad Dogma spectare ratus, multaque objiciens Festorum imminutioni (2).

Circiter annum 1753, plurimi ferebantur sermones, aliis, ut fit, approbantibus, aliis reprobantibus de opere P. Danielis Concinæ quo spectacula theatralia nullo discrimine damnabantur. Quirinus encyclica quadam Brixienses hortatus est ut theatralium spectaculorum plenas periculi hilaritates vitarent, a quibus quantum ipse abhorreret testes appellabat omnes, quum quinque et viginti jam fere annorum spatio quibus Brixianæ Ecclesiæ præerat, ne semel quidem interfuisset scenicis illis repræsentationibus, innocentissimis, licet, ac castigatissimis, quæ in Collegiis juventuti instituendæ destinatis celebrari solent; nequidquam etiam atque etiam rogante vel exoptante Joanne suo dulcissimo e fratris filio pronepoti, qui Brixiæ in Nobilium Collegio Sancti Antonii educabatur, quique nihil magis expetebat quam ut personam quam in theatro, omnium plausu, sustinebat, Eminentissimo propatruo spectante perageret. Declarabat etiam in animo sibi esse ut typis iterum ederetur opus P. Francisci Mariæ de Monaco contra actores et spectatores comædiarum sui temporis (3).

Anno sequenti, novis Encyclicis, quibus iterum theatralia spectacula cavenda propter pericula quibus obnoxia sunt insinuabat, occasionem præbuit opusculum paulo ante hac inscriptione editum : « *Veri sentimenti di S. Carlo Borromeo intorno al Teatro, tratti delle sue lettere* (4). »

In hæc tempora inciderunt Apostolicæ Benedicti XIV litteræ quibus nova ratio in libris prohibendis observanda proponebatur, ut multorum querelæ præcaverentur, et sua Congregationi Indicis ubique gentium constaret auctoritas. Vel ab ipso sui Pontificatus initio Sanctissi-

(1) Cure sacre e letterarie, p. 129.

(2) Coleti, p. 303, Epist. XLIII Card. Puteobonello; p. 423, Epist. 4 Card. de Alsatia; huic epistolæ adnexa est collectio VI Epistolarum Quirini *de Festis* ad D. Borgiam, ad Card. Puteobonellum, ad D. de Franckenbergh. — Lettere a Monsign. Borgia, Arcivescovo di Fermo, 19 Dec. 1746, 19 Gen. 1747.

(3) San Vitalis Continuatio, t. II,1753. Illud opus hanc præfert inscriptionem : « D. Francisci Mariæ de Monaco Siculi Drepanitani, Congregationis Regularium Doctoris Theologi, in Actores et Spectatores Comædiarum nostri temporis Parænesis. »

(4) Lettera pastorale ec. al suo Clero e Popolo della Citta e Diocesi, intorno ai Teatri. Brescia li VIII Gennajo 1754.

mus Pater suas huc cogitationes direxerat, et a Card. Quirino qui in ea Congregatione Præfecti munus gerebat consilium ea super re postulaverat; ille Pontificis voluntati paruit scriptumque litteris mandavit quod Benedictus XIV inter arcanas chartas ad hoc usque tempus asservavit. Tandem consilio illi inhærens, imo vero inhærere se testatus Constitutionem promulgavit qua suam his verbis mentem aperit : « Quod sæpe alias ab eadem Congregatione factum fuisse constat, hoc etiam in posterum servari optamus, ut quando res sit de Auctore catholico aliqua nominis et meritorum fama illustri, ejusque opus, demptis demendis, in publicum prodesse dignoscatur, vel auctorem ipsum suam causam tueri volentem audiat, vel unum e Consultoribus designet, qui ex officio operis patrocinium defensionemque suscipiat. » Illæ sanctiones Quirini plausus captaverunt (1).

Tunc quoque de Venerabili Roberto Card. Bellarmino in Beatorum censum cooptando Romæ agebatur. Quum nonnullis illius virtutes non satis compertæ viderentur et etiam vitæ aliquid reprehenderent, apologeticas Animadversiones scripsit Quirinus, propter quas in nonnullorum offensionem et ipse occurrit. Jam, anno 1744, ad Quirini manus pervenerat Diarium Batavum quoddam, in quo maledicentissime lacerabatur. Risisset ille, si San-Vitali credendum est, hominis impudentiam nisi Episcopus fuisset, cui nihil magis timendum quam ne aliqua ipsius famæ labes adhæreat, propter quam gregi suo pascendo ac regendo prope ineptus fiat. Hinc, prudentissimo consilio, Batavi scriptoris calumnias quinque pastoralibus litteris ad Brixianum gregem suum datis absterserat, Brixia ac Roma plaudentibus (2). Quum eædem illæ litteræ in Bataviam pervenerant, Status-Generales publico edicto caverant ne quis in posterum auderet typis quidquam vulgare quod vel Principes, vel viros alios dignitate conspicuos, lædere posset. Nunc autem et Bellarmini et Quirini inimici virulentum sparserant scriptum quo inter ambos comparationem quamdam instituebant et utrumque impugnabant. Id Philopatris Brixianus (3) indigne ferens idoneam responsionem adornaverat quam tres ante hebdomadas manuscriptam ad Nerinum miserat, quandoquidem ne typis traderetur Card. Quirinus prohibuerat (4). Sed tandem ab eo Philopatris obtinuit ut facultatem sibi faceret cum publico communicandi duas Sacræ Cardinalium Congregationis litteras ad ipsum datas, alteras quidem anno 1742, alteras vero 1727, quibus abunde difflatum iri dicteria omnia Scriptoris anonymi existimavit. Eas igitur suæ ad Nerinum epistolæ intexuit; recitare integras opportunum duxit San-Vitalis, ut Card. Quirini vitæ exitu jam instante, funebris quodammodo orationis vices subirent (5).

(1) San-Vitalis Continuatio, t. II, p. 232.
(2) Coleti, p. 621, Epist. LXXXVIII. Benedicto P. P. XIV.
(3) Sub hoc nomine latet P. Josephus Mari Soc. Jesu.
(4) Deca di Lettere italiane; I, II, III.
(5) San-Vitalis Continuatio, t. II, p. 231.

VII.

Bis antea, Cardinalis Quirinus gravi morbo affectus fuerat. Anno 1737, Romæ jam medicis mortuus erat, iisque supremis auxiliis munitus quæ Religio morituris præbere solet (1). Tredecim annos postea, Brixiæ, quinque mensium spatio decubuerat, quo tamen tempore sua nunquam intermiserat studia. Quam toti Europæ Quirinus carus esset, hic ejus morbus prodiderat; quum enim Schedam ubi brevis ejusdem morbi descriptio continebatur, vulgasset, statim Brixiam ex omni prope Europa Medicorum celebriorum consultationes convolaverant (2).

Aderat dies Epiphaniæ sacer, anni 1755, in cujus pervigilio primis, at aiunt, Vesperis prompto animo interfuerat et Pœnitentiæ sacramento conscientiæ noxas expiaverat. Ecclesiasticis officiis absolutis, post mensam, suum in cubiculum de more secessit, se ut tantisper quieti daret; sed quies illa perpetua fuit. Secundæ instabant Vesperæ; ministri omnes parati erant ut cum Antistite descenderent, nec tamen ille, ut solebat, ullum e familiaribus evocaverat. Eorum tandem aliquis cubiculi januas tentavit, cumque nihil responsi, nihil motus perciperet, in cubiculum ipsum irrupit, ac Cardinalem lecto jacentem et cum morte luctantem offendit. Nullo morbi vis remedio vinci potuit. Nocte jam inita, cum antea ab Rever. P. Petro-Maria Stephana Extrema Unctione fuisset munitus, inter adstantium preces ac lacrymas, naturæ concessit, ætatis suæ anno quinto et septuagesimo, post exactos in Monasterio annos sex et viginti, in Episcopatus munere duos et triginta, et in Cardinalium cœtu octo et viginti. « Quis civium omnium animus, quis vultus fuerit, ait San-Vitalis, quum de Pastoris sui vita conclamatum jam esse intelligerent, etsi maxime vellem, exprimere scribendo haud possem; non aliter lugebat quisque atque angebatur quam qui patrem amantissimum amitteret (3). »

Tanta fuit promiscui populi ac civium cujusque conditionis frequentia ut ad tumultum arcendum necesse fuerit militum excubias tum ad Episcopalis palatii, tum ad Majoris Aulæ januas collocare. Omnes Ordines regulares suum de Card. Quirino amisso luctum sive exsequialibus officiis, sive funebribus laudationibus testari palam voluere. Pauperes quoque illum defleverunt; namque, ut Lebelli verba referamus, « congruebat cum vita illius testamentum, in quo spirabant tantum ejus pietas, liberalitas, caritas; supremumque agebatur quod semper tanta virtute egerat (4). » Pauperes ex asse hæredes con-

(1) Commentarii, t. III, p. 197.

(2) San-Vitalis Continuatio, t. II, p. 37. — Eas consultationes, anno sequenti, in unum libellum collectas, prælo commisit Rizzardus : *Responsa seu Concilia Præstantium medicinæ doctorum de morbo qui Card. Ang. Mar. Quirinum per quinque et amplius menses lectulo affixum detenuit.* Brixiæ. Ex typogr. I. M. Rizzardi, 1750.

(3) Comment. Continuatio, t. II, p. 247.

(4) Lebeau, loc. cit., p. 227.

scripserat, eorumque nomine ad hæreditatem capessendam atque administrandam Congregationem Apostolicam vocaverat. Libros chartasque omnes publicæ Brixianæ Bibliothecæ legaverat, selecto, ob raram hominis fidem, Aloysio de Advocatis, Abbate Canonicorum Lateranensium, ut chartas omnes recenseret, quasque minus utiles posteritati judicaret, flammis absumeret.

Numismata novem ad perennandam Quirini gloriam cusa sunt (1). Quam ipse fecit et incidendam suo sepulcro reliquit en inscriptio :

HIC
REQUIESCUNT OSSA
ANGELI M. QUIRINI
S. R. E. CARD. BIBLIOT.
ARCHIEP. EPISC. BRIX.
OBIIT VIII ID. JAN. MDCCLV.
ORATE PRO EO.
CONGREGATIO APOSTOLICA
HÆRES
P.
EX. TESTAMENTO.

Sub ejus imagine, a Marco Pittero delineata, hi versus inscripti fuere :

Patritia Venetum clara de gente Quirina
Angelus hic ille est, morum qui nomine præfert
Mirum Candorem, Latio venerabilis Ostro,
Omnigena pollens doctrina, Bibliothecæ
Vaticanæ honor, atque tuus modo Brixia Pastor
Egregius, quondam Corcyræ gloria, Justus,
Propositique tenax, sibi parcus, largus egenis,
Magnificus, nulli vera pietate secundus,
Quod Templa ære suo constructa loquuntur, et aræ.

(1) Coleti Præfatio, p. XIII et XIV.

PARS SECUNDA.

DE COMMERCIO QUOD, SIVE PER COLLOQUIA, SIVE PER EPISTOLAS, CARDINALIS QUIRINUS CUM ILLUSTRIBUS ET DOCTIS TOTIUS EUROPÆ VIRIS HABUIT.

CAPUT PRIMUM.

DE COMMERCIO QUIRINI CUM ILLUSTRIBUS ET DOCTIS ITALIÆ VIRIS.

Nunc de commercio quod Cardinalis Quirinus habuit cum doctis et illustribus Europæ viris nobis agendum est; quale fuerit demonstrant tot colloquia in Commentariis relata haud secus atque septem millia epistolarum in Brixiana Bibliotheca etiamnunc servata. Ambitum igitur omnium gentium et, ut ita dicam, omnium eruditorum, complectemur; continuata serie procedent homines pari ingenio conspicui, etsi quam maxime lingua, fide et moribus inter se dissimiles; eorum litteræ supersunt et testantur quanta conjunctione vitam degerent quicumque doctrinam eodem amore colebant. Hæ Berolini, Lipsiæ, Hamburgi, Amstelodami, Petersburgi datæ sunt, illæ Romæ, Mechliniæ, Parisiis; has scripserunt heterodoxi, illas catholici; quid refert? idem spirant; iisdem student; nonne Quirinus et ipse libellum inscripsit : « Specimen humanitatis qua Eruditi quidam heterodoxi prosecuti sunt suevicum iter a D. Ang. Mar. Quirino peractum? »

Inter eos qui cum Quirino per litteras communicaverunt animadvertimus Abbates pollentium Cœnobiorum quæ Benedictini in Gallia, Germania et Italia in æternum scientia et labore nobilitabant, illorumque doctissimos monachos, professores qui omnem doctrinam publica auctoritate in earumdem regionum Universitatibus tradebant; cardinales et academicos; episcopos et litteratos viros; proceres cujusque regni et publicæ rei administratores, ut Cardinalem Fleu-

rium; principes, ut Lantgravium Hassiæ et Ducem Aurelianensem, quin etiam Regem Borussiæ, Fredericum II.

Illos omnes recensere nos minime posse quisque intelliget, namque rei vix sufficeret totum volumen. Quæ ad extraneas gentes pertinent paucis igitur absolvemus, ut in eis quæ spectant ad nostram insistere valeamus (1).

I.

Ea quidem in Italiam præcipue cadunt, quum spectatissimus quisque cujusque urbis Italiæ aliquod commercium cum Quirino habuerit, sive in Ecclesia, sive in Civitate, sive in Litteratura primas partes ageret. Ita, in Indice epistolarum quas Bibliotheca Quiriniana servat, quingenta et amplius Italorum nomina computantur.

Admodum adolescens in celebriorum Florentinorum convictum admissus erat. Magliabecchius, — egregium quidem, sed mirum caput (2), — illius tirocinia, ut ita dicam, probaverat, summaque benevolentia eum adduxerat in aliquam consuetudinem virorum qui ex omnibus Europæ gentibus in suum cubiculum confluebant. Nec dubium est tanti viri, a pueritia libris et doctrinæ addicti, exempla magnæ auctoritatis fuisse apud juvenem ad eadem inclinatum.

Eruditas Antiquitates a se investigatas et explanatas Bonarotius Quirini oculis valde libenter subjiciebat. Salvinus frequenter ad eum venire dignabatur, præsertim ut Græcorum Poetarum carmina, quæ Italico metro donaverat, perlegenda monacho traderet. Quum, e Gallia redux, Florentiam regressus est, anno 1714, nullus ferme dies effluxit quin eosdem adiret, seu admitteret. Tunc vacabat Salvinus Scholiis et Prælectionibus in veteres Auctores, græcos præcipue Poetas, conscribendis, curam in quam, diu noctuque præteritis etiam annis incubuerat, nec unquam in reliquo vitæ suæ cursu intermisit. Bonarotius vero totus intentus erat Observationibus in Vitra Antiqua, Explicationibusque ad monumenta Etrusca componendis.

Romæ, dum historiæ monasticæ insudabat, omnes eruditos in Urbe degentes invisit; clarissimos præsules Fontaninum, Blanchinum, Battellum, Sergardum, Lancisium, Luchesinum, Vignolium, Majellam, Montium, Lambertinum; ex viris claustrali disciplinæ addictis, Gallianum, postea Archiepiscopum Thessalonicensem, Minorellium, Gravesonium, Ceratum, Ayroldum, Aquinum, Bonannum, Baldinum; ac tandem Abbates Assemanum, postea præsulem et Vaticanæ Bibliothecæ primum Custodem, Polydorum, de Simeonibus, Cariophylum, Norciam, Adamum, Gravinam, Valesium; Patres Petrum Benedictum, Josephum Juvencium, Jacobum Fontanium, Jesuitas; Gherar-

(1) Cf. Broglii Principis capita inscripta : « Les Correspondants de Mabillon hors de France et les Correspondants français de Mabillon » t. I, cap. III et IV.

(2) Magliabecchius, Florentiæ natus 1633, ibid. defunctus, an. 1714. Jucundissimam illius imaginem a Broglio descriptam lege, in opere de Mabillonio, t. I, p. 198 sq.

dum Capassium, Servitam; Cajetanum Mariam Meratum ex Clericis Regularibus; Jacobum Laderchium Oratorii S. Philippi; Bernardum Desiderantium Augustinianum, perfamiliariter novit.

Patricios Venetos fere omnes in patriis ædibus convenientes, a teneris annis, invisere consueverat. Cum Sebastiano Fuscareno, Hagæ Comitum, cum Petro Grimano, Londini, cum Joanne Emo, Lutetiæ, amicitiam junxerat.

Mutinæ, a Bachino, Cœnobii Rhegiensis S. Prosperi Abbate, et Ludovico Muratorio, Ducalis bibliothecæ Mutinensis præfecto, mox celeberrimo, receptus erat. Tot tantosque cum doctissimis iis « duumviris » sermones commiscere solebat ut quotquot cum illis aderant nullum unquam finem faciendum putarent (1).

Quid multa? Vix quinque et triginta annos natus, Longobardiam, Venetiam, Etruriam, Romanam ditionem, Neapolitanum regnum peragraverat et ubique insignes amicos sibi pepererat. Cum plerisque, famam et ipse consecutus, per litteras communicavit (2).

Inter eas, ne privata attingamus, quæ ad res ecclesiasticas, quæ ad litterarias, spectant, discernemus.

II.

Qua ratione cum Quirino se gesserint Summi Pontifices et Cardinales, Ecclesiæ administrandæ participes, jam illius vitam narrando, vidimus; plerique maxima benevolentia eum prosecuti sunt. Adulationis quidem erga eos insimulaverunt Quirinum Batavi libellorum auctores; verum est illum, Italorum modo, blanditiis et laudationibus libentissime usum esse; sed Sanctæ Sedi adeo deditus erat, illius jura adeo colebat, ut ejus erga Pontifices obsequium animo persuaso potius quam cupido imputandum est; nisi forte quis indignetur Cardinalem Romanum litterati Pontificis nomine quædam opera inscripsisse, quum Voltairius eidem tragœdiam nuncupaverit. Erga Cardinales reverentia et caritate, ut decebat, incolumi dignitate, usus est. Suam sententiam in litteris liberrime professus est, et sæpissime adeo validis argumentis confirmavit ut de adversariis triumphum ageret. Ita Summi Pontifices et Cardinalium Congregationes judicaverunt illum in omnibus negotiis, sive ad gallicarum rerum procurationem, sive ad Corcyrensis et Brixianæ Ecclesiarum administrationem pertinentibus, bene fecisse et dixisse.

(1) Narrat ipse Quirinus iis colloquiis haud raro adfuisse Patrem Inquisitorem Ord. Prædicat.; isque, quum facetiis abundaret, veluti Magistratus sui auctoritate usus, aliquando proposuit præscripsitque ut ad clepsydram colloquerentur. At quoniam passim eveniebat, ut ad plures Clepsydras illis dandas invitus ipse arbiter adigeretur, semel iterumque excanduit in hæc verba erumpendo, semota clepsydra afferendum esse cereum Paschale, nec ipsum tamen justam colloquiis illorum mensuram præbiturum. Comment., II, 5.

(2) De his omnibus cf. Comment., t. I, p. 20 sq.; 40 sq.; II, p. 5 sq.; 52 sq., etc.; in Biblioth. Quiriniana, 10 epist. Salvini, 33 epist. Baldini, 19 Assemani ad Quirinum.

Epistolæ, ut ita dicam, dogmaticæ quas ad Benedictum XIV exaravit magni momenti sunt; commentariis illustrant acta Pontificis de Communione populi intra missas, de Beatificatione et Canonisatione, de Residentia Episcoporum, de Martyrologio Romano, de Diebus festis, de Methodo in examine ac proscriptione librorum ab Indicis Congregatione servanda, etc. (1).

Ejusdem litteræ ad Nereum Corsinum, Cardinalem, Clementis XII ex fratre nepotem, nos Bibliothecæ Vaticanæ historiam et constitutionem edocent; illarum gratia familiariter novimus Bibliothecarios Vaticanæ ab Hieronymo Alexandro (1519) usque ad Pamphylium, Quirini decessorem, et eos præcipue qui Ecclesiam suam non remiserunt; quomodo illi et ipse Quirinus episcopi et bibliothecarii officia conjunxerint narratur et probatur (2).

Quæ autem ad D. Felicem Mariam Nerinum, Congregationis Monachorum S. Hieronymi Abbatem generalem, mittuntur, varia et studio digna documenta de illo Instituto continent (3).

Si disciplinam ecclesiasticam spectamus, epistolas ad Trombellium, Canonicum Regularem Congregationis Rhenanæ et Sanctissimi Salvatoris Bononiæ Abbatem, de cultu sanctorum aut aliis ejusdem generis argumentis haud spernendas invenimus (4). An memoriam renovabimus epistolarum ad Puteobonellum, Archiepiscopum Mediolanensem, et ad alios episcopos, de diebus festis non imminuendis? Licet eis non assentire; omnia tamen de re accurate exponuntur et perpenduntur (5).

III.

Nobis ad eos transeuntibus qui cum Quirino eorumdem studiorum amore conjuncti fuerunt, certatim occurrunt omnia Italiæ eruditæ nomina : Franciscus Algarottus, in mathematicis, physicis et philosophicis pariter versatus, a doctis et principibus per triumphum pariter exceptus (6); Mazzuchellius, *Scriptorum Italicorum* auctor percelebris (7);

(1) Coleti, p. 90, 177, 297, 499, 507, 621. — In editione Coleti, 10 epistolæ Quirini ad Benedictum XIV; in Bibliotheca Quiriniana, 16 epistolæ Benedicti XIV ad Quirinum (1742-1753).

(2) Quirinus ad Nereum Corsinum; Coleti, p. 10, 12, 14; 24 Jul., 17 Aug., 28 Sept. 1741. — Corsini ad Quirinum, 4 epist. in Biblioth. Quiriniana (1728-1750).

(3) Quirinus ad Nerinum, Coleti, p. 664, 31 Maji 1754; — Nerini ad Quirinum, 4 epist. in Biblioth. Quiriniana.

(4) Quirinus ad Trombellium; Coleti, p. p. 105 et 565; XI Kal. Mart. 1743 et 17 Aug. 1750. — Illius ad Quirinum 32 epist. in Bibliotheca Quiriniana servantur (1741-1754).

(5) Quirinus ad Puteobonellum, Coleti, p. 303; 11 Mart. 1747. — Puteobonelli ad Quirinum 21 epist. in Biblioth. Quiriniana. De epistolis ad dies festos non imminuendos pertinentibus, cf. supra, pars I, cap. v, p. 43.

(6) Franciscus Algarottus, Venetiæ natus an. 1712, Pisæ mortuus an. 1764. — Ejusdem, 15 epist. ad Quirinum in Bibliotheca Quiriniana servantur.

(7) Joannes-Maria Mazzuchellius, Brixiæ n. an. 1707, ibid. mortuus an. 1765. *Gli Scrittori d'Italia,* 6 vol. in f°. — Ejusdem 9 epist. ad Quirinum in Biblioth. Quiriniana.

Bottarus, Bibliothecæ Vaticanæ custos, Vergilii editor, sacrarum in Romanis Cœmeteriis imaginum descriptor elegantissimus (1); Eduardus Corsinus, veterum Græcorum, ut ita dicam, æqualis, quippe qui illorum historiam, mores et ludos singulatim noverit et illustraverit (2); præsertim Fuscarenus, Gorius, Assemanus, Mazzochius, Agostinus, Maffeus, Mansus, Saxius et Muratorius; nec Benedictum XIV, ibi quoque, obliviscamur, cui decem dissertationes eruditas, sub epistolarum nomine, dicavit Cardinalis noster (3).

Quoties Marcus Fuscarenus et Ang. Maria Quirinus patricii Veneti ambo, ambo litterarum periti, studia in commune contulerunt! Hic ad Quirinum mittit Francisci Barbari effigiem ut eam apponat Barbari epistolarum collectioni; ille Fuscareno libellum de Litteratura Venetorum Patriciorum qui sæculis XV et XVI floruerunt exarat; publicis litteris ejus opus, optimum quidem, quanquam imperfectum, de Litteratura Venitiana commendat (4).

Franciscum Gorium, Salvini discipulum, cujus curam in veteribus Diptychis colligendis illustrandis et edendis sæpe laudat, sæpius de Diptychis suis, Amatorio et Boëtiano, consulit; ejus Inscriptionum græcarum quæ in urbibus Etruriæ exstabant collectionem quam maxime miratur (5).

Diptychi quoque inter Episcopum Brixiensem et « Italiæ decus atque ornamentum », virum celeberrimum, Marchionem Scipionem Maffeum aliquam consuetudinem pepererunt. Brixiam, anno 1754, se contulit ipse ut Cardinalem nostrum pro veteri amicitia conveniret, ac suismet oculis tot jam dissertationibus doctorum hominum notissimum Diptychon amatorium diligentius inspiceret et de eo, si fieri posset, certius quiddam ac conjecturis meris minus innixum scriberet. Aliquot ille dies Brixiæ moratus totos fere in Episcopalibus Ædibus insumpsit, partim Bibliothecæ Quirinianæ libros pervolvendo, partim erudita colloquia cum ipso Cardinali conferendo ac protrahendo. « Quot sibi invicem, ait San-Vitalis, humanitatis officia præstiterint; quantam alter

(1) Joannes-Gaetanus Bottarus, n. Florentiæ an. 1689, m. Romæ an. 1775; de Musæo Capitolino, de Picturis et Sculpturis, etc., scripsit; — ejusdem 34 epist. ad Quirinum in Biblioth. Quiriniana.

(2) Eduardus Corsinus, n. an. 1702 Fanani, Pisæ defunctus, an. 1765. — Fasti Attici, 4 vol. in 4°; Dissertationes IV Agonisticæ, in 8°; Inscriptiones Atticæ, 1751; Notæ Græcorum, 1749, etc., etc. — Ejusdem, ad Quirinum 23 Epist. in Bibl. Quiriniana.

(3) Coleti, pp. 1, 4, 44, 112, 297, 508, 521, 542, 621, 683.

(4) Marcus Fuscarenus, Venetiæ n. an. 1695, ib. m. an. 1763; fuit Dux Venetorum; Historiam Litteraturæ Venitianæ scripsit (Patavii, 1752, in f°). — Coleti, p. 35, Quirinus Marco Fuscareno, 19 Mart. 1742. Ibid. p. 587, 591, 592, 599; epistolæ Quirini ad Andream Quirinum, Senatorem Venetum, de Litteraturæ Venitianæ historia. In Bibliotheca Quiriniana sex epistolæ Fuscareni ad Quirinum supersunt.

(5) Antonius-Franciscus Gorius, Florentiæ natus, an. 1691, ibid. vita defunctus an. 1757, presbyter et Historiæ in Florentino Athenæ professor. Ejus opera : Inscriptionum antiquarum græcarum quæ in urbibus Etruriæ exstant Florentiæ, 1726-44, 3 vol. in f°; Monumentum sive columbarium libertorum et servorum Liviæ Augustæ et Cæsarum, Romæ detectum in via Appia, 1726, Florentiæ 1726, in f°; Musæum Florentinum, Florentiæ, 1731-43, 9 vol. in f°, Symbolæ litterariæ, etc., etc. Quirinus ad Gorium, Coleti, p. 96, 9 Jan. 1743. Cf. ibid. 73, 74, 87. — Gorii ad Quirinum 64 epistol. supersunt in Biblioth. Quiriniana.

ab alterius sermonibus voluptatem hauserit, multo facilius est cogitare quam verbis exprimere (1). »

Cum Josepho-Simone Assemano, Vaticanæ Bibliothecæ custode, orientalium litterarum docto, operam consociavit Quirinus ut editio Operum S. Ephræm Syri feliciter perficeretur; de Vaticanis, Anglicis et Venetis eorumdem codicibus multa inter se disseruerunt (2).

Quirini et Al. Symmachi Mazzochii commercio antiquæ litteræ materiam præbent; de veteribus Corcyræ nominibus « homerica », ut ita dicam, inter eos certamina cooriuntur; nonnunquam tamen et sacræ litteræ : testes epistolæ binæ de hoc antiquissimo codice manuscripto Chisianæ Bibliothecæ qui quatuor Prophetas Majores ex Origenianis Hexaplis accurate exscriptos complectens, *auro contra carior, et patera aurea gemmis gravibus pretiosior existimandus,* Leoni Allatio videbatur (3).

De variis litterariis argumentis, de Francisco Barbaro præsertim, urbane disceptant Joannes Agostinus et Cardinalis Quirinus (4).

Qui historiæ ecclesiasticæ tantam operam dedit non potuit non novisse eum qui totam vitam eisdem studiis dedit, Dominicum Mansum; ille, Neapoli theologiæ professor, deinde Archiepiscopus, quum primum in Quirini cognitionem adductus est, jam insignem Tractatum de casibus et excommunicationibus reservatis, vulgaverat; de Epochis conciliorum Sardicensium et Sirmensium librum, latinumque Bibliorum Lexicon, denique Conciliorum collectionem, postea elaboravit; hæc omnia mirabatur Quirinus; inde commercium epistolarum quod ambos junxit (5).

Josephus-Antonius Saxius, Mediolanensi Ambrosianæ Bibliothecæ Præfectus, eadem Mediolani agebat, præter episcopalia munera, quam Brixiæ Quirinus; suæ Urbi totum se dediderat; de studiis litterariis Mediolanensium antiquis et novis, de Mediolanensibus Archiepiscopis doctissime scripserat. Voluptatem igitur singularem quam ceperat Quirinus prius horum operum evolvendo, etsi litteris suis familiaribus satis auctori declaraverat, publico tamen documento patefacere voluit. Illi igitur longam epistolam nuncupavit, in qua comparabantur Saxii

(1) Comment. Cont., t. II, p. 229. — Scipio Maffeus, Veronæ n. 1675, m. 1755, inter Italos litteratos percelebris. — Ejus judicium de Diptycho Quiriniano, Coleti, p. 75. — Ejusdem ad Quirinum, 20 epist. in Bibliotheca Quiriniana.

(2) Josephus-Simo Assemanus, Maronita, n. 1687, Romæ defunctus 1768. Cf. Præfatio Operum S. Ephræm. — Ejusdem ad Quirinum 21 epist. in Biblioth. Quiriniana.

(3) Mazzochius (Alex. Symmach.) Capuæ natus, an. 1684, Neapoli, vita defunctus an. 1772; Canonicus neapolitanus et Regius Sacræ Scripturæ interpres, vir miranda quidem eruditione præclarus. Scripsit *de Antiquis Corcyræ nominibus* (Neapoli, 1742, in-4°) et *de Regii Herculanensis musæi æreis tabulis Heracleensibus* (ib. 1754-55, 2 vol. in-f°). Quirinus ad Mazzochium, Coleti, p. 67, 83, 99, 210, 269. In Biblioth. Quiriniana 38 epistolæ a Mazzochio ad Quirinum missæ supersunt.

(4) Giovanni degli Agostini. Istoria degli Scrittori Veneziani. 2 vol. in 4°. Venezia. 1752-54. Ejusdem 35 Epistolæ ad Quirinum in Biblioth. Quirin. Cf. Alcune lettere di Veneti illustri al celebre P. Giovanni degli Agostini, Venezia, 1885.

(5) Mansus (Dominicus) Lucæ natus 1692, m. 1769. Mansi ad Quirinum 13 epistolæ in Biblioth. Quiriniana.

opus de studiis litterariis Mediolanensium, et suum ipsius de Brixiana litteratura (1).

Cum illo denique qui universam Italiæ doctrinam in se complexus est, cum Ludovico Muratorio, incepta Mutinæ colloquia longa epistolarum serie protulit, donec inter eos gravis et aspera controversia oriretur, quum Muratorius, sub nomine Lamindi Pritani, Quirini sententiam de diebus festis impetiverit. Auctorem libelli *della regolata divozion de' Christiani* Quirinus, tanquam erroris immunitati Romanæ et universalis Ecclesiæ adversatum, nec minus S. Augustini quam Benedicti XIV auctoritate abutentem, confutare suscepit. Alterum crimen! Muratorius furtum corporis S. Benedicti, contra Casinenses, admittebat (2)!

Hæc tamen hactenus. Vix nobis recensere licuit quos in patria noverit Quirinus quum jam eum sibi vindicant remotiores terræ.

(1) Saxius (Josephus-Antonius) Mediolani natus an. 1675, m. an. 1751. — De studiis litterariis Mediolanensium, etc., Mediol., 1729, in-8°. — Archiepiscoporum Mediolanensium series historico-chronologica, etc., ibid., 1755, 3 vol. in-4°. — Cf. Coleti, p. 211, epist. Quirini ad Saxium IV kal. Aug. 1745. — Saxii ad Quirinum 27 epist. in Biblioth. Quiriniana.

(2) Ludovicus Muratorius, celeberrimus editor Scriptorum Rerum Italic., etc., etc. Vignolæ natus an. 1672, Mutinæ m. an. 1750. — Coleti, pp. 76, 381, 432, 496, 507, 629. — In Biblioth. Quiriniana, 49 epist. Muratorii ad Quirinum. — Cf. Lettere inedite di Lodov. Anton. Muratori al Card. Aug. Mar. Querini. Archivio storico Italiano, 6ª dispensa di 1888. Firenze.

CAPUT II.

DE QUIRINI COMMERCIO CUM DOCTIS ANGLIÆ, HOLLANDIÆ ET BELGII VIRIS.

De Quirini commercio cum doctis Angliæ viris quos novit, Gilberto et Thoma Burnetio, Bentleio, Newtonio, Guillelmo Cavo et Hudsonio fere nulla dicam, quippe quod, peracto itinere Britannico, jam a nobis narrato, fere nullum fuerit. Quasi nullam ex Anglia epistolam, vix aliquam de Anglorum operibus mentionem in Quirini scriptis, nisi Gilberti Burnetii confutationem, invenimus. Hujus *Historiam Anglicanæ Reformationis* in Diatribis suis de Reginaldo Polo sæpissime impugnat (1).

I.

In Hollandia frequentibus cum Joanne Clerico colloquiis delectatus fuerat (2), quanquam ab illo maxime dissentiret. Hic a munere sacræ orationis ad populum habendæ repulsus, philosophiam, litteras et hebraïcam linguam publice docebat.

Artis criticæ peritus, contradictorum impatiens, de omni re tanquam erroris expers ita disserebat ut in republica litteraria dictatoris partes agere videretur. Plurima opera jam ediderat, tempore quo Quirinus eum invisit (1710); et a multis annis in Sacrorum Librorum interpretatione quasi unice versabatur. Vehementer impugnabat rationem Polyglottæ Bibliorum Editionis a Richardo Simone institutam (3); Mosem non Pentateuchi auctorem, Jobum et Salomonem non divino spiritu afflatos fuisse contendebat : ab anno 1690, Commentarium latinum de Biblis moliebatur, cujus nonnullas partes vulgaverat. Quirinum igitur rogabat ut statim ac Lutetiam advenisset, eum per litteras certiorem redderet an procederet suscepta a Bernardo Montfauconio Origenianorum Hexaplorum Editio, quam valde opportunam fore affirmabat Commentariis in Jobum quos ipse adornabat Origenianis fragmentis a Drusio collectis. Commendabat autem summopere plerasque veterum Patrum Editiones quum a Montfauconio, tum a reliquis

(1) Cf. Coleti, p. 184-185. Epist. XXVIII Renato L'Aneau.

(2) Joannes Clericus, Genovæ natus an. 1657, Amstelodami vita defunctus, an. 1737.

(3) Sentiments de quelques théologiens de Hollande, etc.; Amsterdam 1685 et 1711, in 8°; et Défense de ces sentiments contre une réponse de Richard Simon, 1686.

San-Germanensibus Monachis curatas. Hæc dicentem dum audiret Quirinus, ore ad risum composito eum interpellavit an pari laude dignam reputaret Hieronymicorum Operum Editionem quam molitus fuerat Joannes Martianæus? Nempe in *Quæstionibus Hieronymianis* Martianæum inclementer lacessiverat nec ipsi Hieronymo pepercerat (1). « Adeo multus fuit, ait Quirinus, in causa sua tuenda ut me quodammodo piguerit chordam illam attigisse (2). » Optare se dicebat Clericus ut vetus Italica versio novi Testamenti ab iisdem doctissimis Cœnobitis ederetur. Cupiebat quoque certior fieri an verum esset Montfauconium in Bibliotheca Segueriana magnam manuscriptorum Codicum vim deprehendisse et præcipue Lexicorum Græcorum, atque inter ista Hesychianum, de qua re fidem ipsi fecerat per litteras ante paucos menses datas Abbas Bignonius.

Hæc omnia memorabat Clericus in Epistola quam servat etiamnunc Bibliotheca Quiriniana (3). In ea quo magis celebrat ille San-Germanensium, aliorumque complurium Galliæ Eruditorum labores præsertim in Antiquitatibus Ecclesiasticis eruendis et illustrandis, eo minori æstimatione dignatur quæcumque Batavia sua in lucem eo tempore proferebat : « Nihil hic agitur, inquit, quod nunciare operæ pretium sit. Grammatici modo desipiunt, ut cum maxime. Gronovius ridiculam adversus me Dissertationem vulgavit, cui nihil reponam. Aggressus pariter est Kusterum virum bonum nec adhuc absistit. Adversarius tamen ille est minime formidandus et cum quo manus conserere parum honorificum. » Paucis deinde attingit Anglicæ litteraturæ statum, recensetque novam Horatii Editionem a Bentleio curatam, nihilque ea audacius usquam emanasse pronunciat, quod homo ille ad audendum, si quis alius, projectus, haud vereatur lectiones plerasque incertas et quasdam etiam manifesto falsas obtrudere. Contra laudat Clementis Alexandrini Editionem Potteri studio accurate et nitide impressam, selectisque notis adornatam; æque commendat Editionem Geographorum græcorum minorum ab Hudsonio, item Editionem Characterum Theophrasti, auctore Needhamo evulgatam. Denique aliqua subjungit de iis quæ in Italia vulgari perceperat, scilicet de Demosthenis nova versione ab Abbate Luchesino confecta, de Libani Epistolarum Editione, cui vacabat Abbas Adamus, queriturque postremo loco merces hujusmodi Italicas admodum raro ad Batavorum regionem ex Bibliopolarum incuria deportari.

Narrat quoque Quirinus Clericum inter alia a se interrogatum fuisse quemnam e veteribus Ecclesiæ Patribus pluris faceret, nominatumque statim ab ipso Augustinum; quod quum Quirinus valde miraretur probe noscens eumdem ipsum Clericum, sub Joannis Phereponi nomine delitescentem, Augustini carpendi in Batava Editione nullam occasionem omisisse, Clericus affirmavit notas se illas confecisse non ex Doctrinæ

(1) Quæstiones Hieronymianæ, 1700, in 8°.
(2) Comment., t. I, p. 45.
(3) Biblioteca civica Queriniana. Brescia. Joannes Clericus Quirino 18 Novembr. an 1712.

Augustinianæ contemptu, sed quod res omnino iniqua sibi videretur, Batavos Magistratus ejusdem doctrinæ auctoritatem obtendentes fas sibi esse arbitrari quosvis ad parendum Dordracenæ Synodi Decretis adigere, perinde ac si in ea regione post detrectatum Romanæ Inquisitionis jugum, aliud, et quodam modo durius, animis incolarum imponi per ea Decreta æquo animo tolerare quis posset (1).

Frequentia cum doctissimo viro Jacobo Ludolfo Kustero (2) colloquia habuit Quirinus sive Amstelodami, sive Parisiis. Vacabat ille, dum Quirinus Bataviam pererrabat, Novo Testamento Millii variis lectionibus augendo, edendisque Aristophanis Comœdiis; vel eo tempore patebat proclivitas ejus animi ad sectam quam profitebatur ejurandam; ad Parisios revera, duobus post annis, accessit, causa catholicæ Fidei amplectendæ, quod solemniter perfecit in Æde Tyrocinii Patrum Societatis Jesu. Tunc in lucem eduxit novam Editionem Diatribæ Anti-Gronovianæ, de cujus argumento cum Quirino eo libentius sermones instituebat, quo notior illi erat et Suidæ editionis a Kustero ante paucos annos adornatæ præstantia et Gronovii acerbitas in ea per injuriam lacessenda (3).

Perizonium, qui tunc historiam, eloquentiam et linguam græcam profitebatur, Lugduni Batavorum cognovit (4). Jam assidui laboris oneri impar, lecto detinebatur; attamen de litterariis argumentis quibusvis, libero animo, disserebat. Sermonem convertere solebat Quirinus ad controversias quas bonus et officiosus ille vir, incredibili contentione, cum viris doctis exercuerat et imprimis nuperrimas cum Clerico, de Quinto Curtio vindicando (5), cum Gronovio de morte Judæ, cum Kustero de Veterum *ære gravi*. Eas itaque ipse distincte narravit, indeque occasionem cepit integram ferme seriem operum suorum pertexendi. Superiore anno (1710) librum vulgaverat inscriptum : « Rerum per Europam sæculo XVI maxime gestarum commentarii historici (6). » Nunc autem (1711) *Origines Babylonicas et Ægyptiacas* prælo subjecerat (7), affirmabatque paratas quoque se habere Assyriacas. Plura a Quirino sciscitatus est de Magliabecchio cupidumque se ostendit epistolis commercium cum eo ineundi.

Eidem Magliabecchio amicissimum Jacobum Gronovium Leydæ quotidie invisit Quirinus, tempore commorationis suæ in ea urbe, eumque ex cathedra prælectiones habentem semel iterumque audivit (8). In suis vero colloquiis, Gronovius recensuit ferme absque in-

(1) Comment., t. I, p. 47, et Coleti, p. 34. Epist. VIII ad Præsidem generalem Congregationis S. Mauri.

(2) Kuster, natus an. 1670 Blombergi, in Westphalia, defunctus Lutetiæ an. 1746.

(3) Coleti, p. 325; epist. XLVI, catholico æquoque lectori.

(4) Perizonius Dami, in Groninga provincia, an. 1651, natus, Leydæ vita defunctus an. 1715.

(5) Quintus Curtius Rufus in integrum restitutus et vindicatus; Lugduni Batavorum 1703, in-8°.

(6) Lugduni Batavorum, 1710, in-8°.

(7) Origines Babylonicæ et Ægyptiacæ; Lugduni Batavorum, 1711, 2 vol. in-8°.

(8) Jacobus Gronovius, Joannis-Frederici filius, Daventriæ natus, an. 1645, Lugduni Batavorum vita defunctus an. 1716.

termissione libros a se conscriptos, quorum elenchum hic recitare longum foret, imo vix nomenclatura tantum posset proferri doctorum Virorum quos superbus et vehemens in iisdem libris insectandos susceperat, et quidem ea maledicentia, quæ humanarum litterarum professorem maxime dedeceret, remota scilicet ab omni humanitate. « Emendationes in Menandrum editæ a Bentleio pariterque Philemonis fragmenta a Clerico vulgata, quod recens prorsus prodiissent, Gronovio irascenti contumeliarum plaustra subministrarunt. Ne plura, addit Quirinus, nemini parcere mihi videbatur, ac proinde ejus oratio immensum distare a modestia cujus leges Joannes-Fridericus, ejus pater, in omnibus suis scriptis studiose servasse dignoscitur. Certior fieri a me cupiit de rei litterariæ in Italia statu, ac præsertim in Athenæis Patavino et Pisano; subinde vero narrationes meas abrumpebat, ut suas immisceret de Cathedra Pisana, qua potitus olim fuerat et de Patavina sibi oblata post mortem Octavii Ferrarii. Paratum etiam se exhibuit quinam fuerint sui in Italia casus mihi exponere, at ne id accideret studiose cavi ne bilis amara quæ, ut jam noram, ejusdem animum coquebat eorumdem causa magis magisque turgescens longius propelleret jucunditatem omnem quam ex eruditorum colloquiis capere satagebam (1). »

II.

Quam multum interest inter hunc virum superbia tumentem et humillimum etsi doctissimum Patrem Papebrochium, ad quem, Antuerpiæ, advolaverat monachus noster ! Agebat ille eo tempore (1711) annos octoginta tres, ac proinde parum idoneum se sentiens laboribus iis continuandis, quos maximum illud opus Actorum Sanctorum deposcebat, cubiculo suo inclusus conscribendis Annalibus Antuerpiensibus se dederat. Sed ipsi Quirino iterum dicendi copiam faciamus : « Optimum eum senem ut primo sum allocutus, tanta me cepit levitatis ac suavitatis quam ejus vultus et verba præferebant, admiratio, ut in hanc e vestigio eruperim exclamationem : « Hiccine novus Ismael, cujus manus contra omnes, et omnium manus contra eum? Hiccine præferox ille homo quam Hispani Carmelitæ jacula et saxa prægrandia undique jacientem sibi visi sunt intueri uno verbo *bombardizantem* in Actis Sanctorum? » Risit ad hæc Papebrochius, meque satis doctum intelligens de iis controversiis quæ inter se et monachos illos exarserant, nihil antiquius habuit quam ut anecdota quædam de illatis sibi per adversarios illos contumeliis, deque vicibus quas iisdem animose reddiderat, haud omnino brevi sermone mihi enarraret (2). » Quid multa? Talem omnino se præbuit qualem eum patefecerat admirabilis epistola qua, post controversiam de Dionysianis chartis

(1) Comment., t. I, p. 67.
(2) Comment., t. I, p. 77.

et de re diplomatica, Mabillonio victori libenter manus dederat (1).

Multis annis interfectis, Quirino controversia de diebus festis non imminuendis novi commercii ineundi causa fuit cum Cardinali Philippo-Thoma de Alsatia, Archiepiscopo Mechliniensi Belgiique Primate (2).

Cardinalis enim de Alsatia Quirinum non semel rogavit ut quæ de retinendo veteri Festorum dierum numero italico sermone vulgaverat, eadem latina faceret, ut externis etiam nationibus usui ac doctrinæ esse possent. Tandem in animum induxit Episcopus Brixiensis latinæ quæ petebatur versioni manum ipse suam admovere. Hanc cum jam perfecisset sexto Idus Febr. 1747, una cum litteris suis ad Cardinalem de Alsatia misit (3). De illa autem rursus cudenda Lovaniensibus typis consilium suscepit Mechliniensis Archiepiscopus. Inde iteratæ Quirini epistolæ ubi eum monet ut animum paret ferendis patienter molestiis quæ ab aliquo contrariæ opinionis patrono creari ipsi possent (4).

Eidem postea nuncupavit jucundissimas epistolas in quibus referebat suas per Benedictinas Germaniæ Abbatias peregrinationes (5), ac demum Animadversiones apologeticas, in vitam quam sui scripserat Cardinalis Bellarminus (6). Hæ quidem Lovanii editæ fuerunt anno 1753.

(1) De Broglie, Mabillon, t. I, p. 106; 116-117.

(2) Ph. Th. Lud. Hénin-Liétard Card. de Alsatia, e praclara Comitum Flandriæ et Ducum Lotharingiæ stirpe ortus, virtutibus præclarior, vita defunctus an. 1759.

(3) Coleti, p. 418, 7 Feb. 1747.

(4) Letterà all' Eminentiss. e Reverendiss. Filippo Tommaso Card. d'Alsazia, etc. 29 April. 1748. Deca II di Lettere italiane.

(5) Coleti, p. 494 et 499. epist. Quirini Cardin. de Alsatia, 25 sept. et 5 oct. 1748.

(6) Coleti, p. 648, 7 Mart. 1754. Eidem inseruntur Animadversiones Apologeticæ. Cardinalis de Alsatia ad Quirinum epistolæ quinque in Brixiana Bibliotheca supersunt.

CAPUT III.

DE QUIRINI CUM DOCTIS VIRIS ORDINUM REGULARIUM ET PRÆCIPUE SAN-GERMANENSIS CŒNOBII, IN GALLIA, COMMERCIO.

Tempore triennii a Quirino in Galliis peracti non jam idem spectandum se dabat Cœnobium San-Germanense quod tanta arte descripsit Princeps Emmanuel de Broglie in libro quem Mabillonii memoriæ dedit (1). Fatis enim cesserat Mabillonius die 27 Decembr. an. 1707; Ruinartus autem, solatii impatiens et vix amico superstes (2), die 29 Septembr. 1709; Franciscus Lamy die 11 April. an. 1711; denique eodem anno, in Monasterio San-Dionysiano vitam absolverat Gabriel Gerberonius, Jansenii doctrinæ olim vehementer addictus (3), sed præstantissimæ virtutis exemplis conspicuus, postquam e Vincennarum Castro ad Sodales suos reditum a Rege impetrasset (4). Tale igitur erat Cœnobium San-Germanense quale animo prospicit et præsentit Broglius in ultimo operis sui capite; ita ut hoc nostrum caput, e Quirini commentariis epistolisque ortum, ad supradictum librum quasi supplementum adjici possit.

I.

In San-Maurina Congregatione regnabat, ut ita dicam, Bernardus Montfauconius. Hic qui militiæ olim nomen dederat, militare ingenium, etsi monachi veste indutus, servaverat (5). Mentis impetu tantæ eruditioni et doctrinæ conjuncto, singularem inter omnes se præstabat, nec mirum est illum Quirini animum fortiter tetigisse.

E San-Germanensibus ante Montfauconium nullus Quirino notus fuerat, namque, viginti annos natus, « hoc magnum litterarum lumen » Florentiæ viderat in Benedictina illius Urbis Abbatia hospitatum (6). « Haud mentiar, ait ipse Quirinus, si dixerim me toto eo tempore ab ejus latere vix aut ne vix quidem discessisse, mirum in modum delec-

(1) Mabillon et la société de Saint-Germain des Prés à la fin du dix-septième siècle, par E. de Broglie. 2 vol. in-8°.
(2) *Ibid.*, t. II, p. 375.
(3) *Ibid.*, t. I, p. 89.
(4) Comment., t. I, p. 95.
(5) De Broglie, op. cit., t. II, p. 269.
(6) Cf. Pars prima, caput I.

tatus lectissima et uberrima eruditione qua sermones ille suos condiebat. Inter cetera memini multa eumdem mihi retulisse de Therapeutarum Christianismo a se propugnato, de quarto græcorum Analectorum tomo quem curaverat, de Historia Judith adversus Grotium et alios vindicata, de Vindiciis Editionis Operum S. Augustini a San-Germanensibus suis adornatæ (1), tandemque ut alia omittam de vulgatis nuperrime a se ipso S. Athanasii Operibus (2). »

Coram tanto viro theologicam disputationem inivit Quirinus in qua de divina gratia juxta Augustini et Thomæ mentem ageretur. Non tamen ab ipso impetrarunt Florentini Monachi ut ad argumentum illud magis illustrandum in medium aliquid de suo proferret, modesteque eorum flagitationibus respondit se illuc venisse ut disceret, non vero ut disputaret.

Deinde cum miti et optimo Theodorico Ruinarto aliquam consuetudinem jungere exoptaverat monachus noster, ut apparet ex illa epistola ad eum inscripta, de Mabillonii morte : « Audax hominis facinus te clarissimum virum, ignoto prorsus nomine quod Epistolæ frons præfert, adeuntis te magnopere demirari non dubito idque vehementius facturum, postquam certo noveris nomen hoc alterius nominis, quo nullum hercle tibi notius, nullum in Literaria Rep. splendidius, vices gerere. Nominis, inquam, cujus gloriæ domicilium communibus non Romani imperii tantum, quod de Cn. Pomp. laude aiebat ille, sed totius terrarum orbis finibus terminatur : quæ ubi dixero, nihil opus est Antonium Magliabecchium, nostrum hoc literarum numen nominare. Ne te morer Magliabecchius ipse mihi, quo neminem hic Florentiæ obnoxiorem habet provinciam ad te scribendi imperavit. Convaluit hic quidem a pertinacis erysipelatis morbo qui illum per plures menses incredibili omnium dolore ac maximo studiorum nostrorum damno lectulo detinuit. At latet adhuc ophthalmia laborans, quæ illum ita male habet ut vix quidquam legere, nihil prorsus scribere patiatur. Hac affectus literas tuas accepit quibus ipsum de Mabillonii heu ! heu ! morte certiorem facit, studium tuum erga ipsum testaris, et quidnam literarii isthic a Patribus vestris agatur edisceris. Has literas ipsi jubenti ego primum legi, moxque mihi nulla habita tenuitatis meæ ratione rescribendi negotium legavit. Plurima ille quæ ad te scriberem uno velut impetu copiosissime suggerebat, multa pro significando acerbissimo dolore ex doctissimi et amicissimi viri obitu, multa pro commendandis egregiis Patrum tuorum laboribus, et immensis in rem literariam, imo Ecclesiam ipsam meritis pleraque vero de summa sua erga te benevolentia, de præclarissima literaturæ tuæ præstantia, de maxima ubique librorum a te editorum existimatione, quorum non argumenta modo sed integras, credo pagellas memoriter recitabat, « Mabillonium superstitem te doctrina parem habuisse aiebat » abeuntem vero suæ famæ quodammodo

(1) De hac editione, cf. de Broglie, t. I, p. 25 et passim, cap. I et II.
(2) Comment., t. I, p. 19.

hæredem fecisse. Literas interea tuas suaviter exosculabatur, eximia tui erga se ipsum beneficia enumerans pro quibus immortales tibi gratias honorificentissimis verbis agebat. At quid ego singula commemorem, cum certe non ea dicendi facultas suppetit, ut vel minimam eorum partem enarrare pro dignitate queam? Imo vero in animo meo reputo Magliabecchium pro quo scribo, Ruinartium ad quem scribo, veluti ad tantorum nominum claritatem hebescens cogor illico e cera stylum tollere. Idem ipse Magliabecchius quum primum per oculos licuerit, muneri suo satisfaciet; has quippe scribendi partes suscipiens id unum animo meo destinavi, ut tibi Magliabecchium literas tuas accepisse significarem, non vero ut Magliabecchium exprimerem cujus aut loquentis aut scribentis τὸ πρέπον non alius quam ipse tueatur.

« Hic itaque sisto etiam atque etiam a te petens, ut quoniam Magliabecchii valetudo me vel invitum notum tibi reddiderit, tu ipse in posterum, quo notior fiam, studia, laborem et diligentiam meam, si quid posse me videas, experiaris. Vale (1). »

Invida mors hoc commercium vix inceptum abrupit.

Attamen quum Quirinus, anno 1711, San-Germanense Cœnobium ingressus est, a nullo advena reputabatur. Ipsius verba adventum narrantis referamus :

« Haud minus propere Montfauconius et alii Monachi, statim ac norunt me in claustris jam adesse, e scalis descenderunt. Quanta fuerit eorum animi, Montfauconii præsertim, in lætitia effusio dum nos inter nos complecteremur, haudquaquam mihi suppetunt verba quibus declarem. Obstupuit frater meus, mutuam illam suavitatem conspicatus, fassusque ingenue est, sibi ea occasione innotescere ex monastici sodalitii vinculo, haud minus quam ex sanguinis arctissimam animorum conjunctionem posse exoriri (2). »

Redux ex Italia, Montfauconius alia plura opera jam adornaverat, nimirum Collectionem novam Veterum Patrum Græcorum, Palæographiam Græcam, Diarium Italicum, recens vero propugnandum susceperat Philonis Therapeutarum Christianismum, et Baptismum a S. Athanasio, dum infans foret, infantibus administratum.

Dum autem Quirinus Parisiis degebat, Origenianorum Hexaplorum Editionem confecit Montfauconius, manum quam primum admoturus Editioni Operum S. Chrysostomi, item recensioni Bibliothecæ Coislinianæ, olim Seguerianæ, ac demum Collectioni Antiquitatum, cui se maxima cum voluptate vacaturum Quirino identidem affirmabat (3).

Eodem tempore, Renatus Massuetus, S. Irenæi Operum Editione an. 1710 publici juris facta, operam dabat Annalibus Benedictinis contexendis, successor in ea provincia renunciatus Mabillonii et Ruinarti (4); qua tamen, ut Quirino confessus est, non ita delectabatur ac

(1) Viro Clarissimo D. Theodorico Ruinartio S. P. D. D. An3us Ma Quirinus Monus Casinens. Dabam Florentiæ VII Nonas April. (1708). — Biblioth. Nle, Fr. 19689.

(2) Comment., I, 85.

(3) Comment., I, 88.

(4) Broglie, *op. cit.*, II, 331.

philosophis theologicisque studiis quibus antea vacaverat (1). De hisce et de viris qui in Anglia iisdem incubuerant libentius quam de Annalibus cum Quirino disserebat.

Intentum quoque se nostro monacho exhibebat Joannes Martianæus : studiis divinarum litterarum quibus instructus Hieronymianam editionem, Innocentio Papæ XII nuncupatam, elaboraverat (2), Novum Testamentum ad Vulgatæ fidem in gallicum idioma vertendi nunc curam adhibebat, quod gallicas alias versiones erroribus scatere contenderet, idque editis paulo ante pluribus observationibus comprobare curasset (3). De Joanne Clerico et de Richardo Simone, quos acres adversarios passus fuerat, frequenter sermonem cum Quirino movebat, eo libentius quod de colloquiis inter eum et Clericum habitis Amstedolami certior jam foret, speraretque Quirinum curaturum ut Dieppam adeundo Simonem quoque alloqueretur. Obitus autem Simonis Normannicam, quam postea suscepit, profectionem præcessit.

Inter Martianæi sodales, non deerant, si Quirino credendum est, qui illius litteraturam contemnerent prorsus ac irriderent.

Contra plerique San-Germanenses in Nicolao Nourry probitatem singularem ingeniique suavitatem collaudabant. Hic apparatum ad Bibliothecam Veterum Patrum concinnandam animum appulerat, jamque primum tomum publicum fecerat et alterum prælo parabat.

Michael Felibenius, qui Monasterium San-Dyonisianum descripserat, Parisiensis Urbis describendæ, an. 1713, consilium publicavit, sed ejus labores mors intercepit.

Petrus Constantius (4), valde insigne jam nomen assecutus ex S. Hilarii editione, operam collocabat colligendis Romanorum Pontificum Decretalibus, et una simul constabiliendis magis magisque Vindiciis manuscriptorum veterum codicum, adversus Germonium ante aliquot annos elucubratis (5). De his rebus frequenter cum Quirino sermocinabatur, quod illum callere intelligeret quidquid ad eumdem Germonium refutandum conscripserant in Italia Fontaninus, Lazarinus et Gattus (6).

Julianus Garnerius Editioni Operum S. Basilii conficiendæ insudabat : « Sodales tamen suos, ait Quirinus, audisse me memini, quibus algere ille videbatur, potius quam sudare, nam operi illi a decem jam annis incumbebat. Hanc eorumdem censuram exploratam habens Garnerius, causabatur frequenter provinciæ a se susceptæ arduitatem, et modeste etiam quandoque carpebat festinatas nimis quorumdam ex ipsis lucubrationes (7). »

(1) Comment., I, 89.

(2) E. De Broglie, op. cit., t. II, p. 216.

(3) Comment., t. I, p. 90.

(4) Dionysius San-Marthanus injuria querebatur quod Petrus Constantius a studiis amotus fuisset. Correspondance des Bénédictins. Bibl. nat. fr. 17681. Cf. De Broglie, op. cit., t. II, p. 281.

(5) De Germonio Mabillonii rationem et methodum lacessente, cf. de Broglie, op. cit., t. II, p. 332-338.

(6) De ira Fontanini in Germonium, cf. De Broglie, op. cit., t. II, p. 333-334.

(7) Comment., t. I, p. 92.

Toutaium, Carolum de La Rue, Edmundum Martenium, Guenesrium, Anselmum Bandurium cognovit quoque in San-Germanensi Monasterio Quirinus.

Antonius Augustinus Toutaius Parisios adscitus est, tempore ipso quo Quirinus in Abbatia hospitabatur (an. 1712). Illico calamum suum accommodavit editioni S. Cyrilli, eamque ad umbilicum ab eodem perductam publicavit post ejus obitum Prudentius Marranus, nonnullis de suo additis ad vindicandas cum Cyrilli doctrina observationes etiam Toutaii adversus Trevoltianos Patres, qui censoriam virgulam in eam doctrinam distrinxerant.

Carolus de La Rue, junior quidem, se jam meditari, probante Montfauconio, fassus est Origenianorum Operum editionem, quæ postea in lucem prodiit.

Cum Edmundo Martenio semel et iterum Quirinus collocutus est; ille enim tunc per Galliæ provincias cursitabat veterum Monumentorum colligendorum causa, sed Lutetiam interdum repetebat; valde libenter ex ejus ore monachus noster percipiebat quam amplum ex iisdem pararet augmentum collectionibus suis antea vulgatis, videlicet de antiquis Monachorum Ritibus et de antiqua Ecclesiæ disciplina in divinis officiis celebrandis, ac tandem collectioni quam inscripserat « Collectio nova veterum scriptorum, etc. » tribus tomis comprehensæ.

Guesnerium autem frequenter adibat cui Bibliothecæ cura commissa fuerat. Is, qui tabulam generalem Operum S. Augustini contexuerat, tunc vacabat novæ editioni Glossarii Ducangii quam mortuo illo Nicolaus Touteinus et Ludovicus Pelleterius promoverunt.

Denique memorabimus Anselmum Bandurium, Ragusinum, Congregationis Melitensis Monachum quem Cosimi III Magni Etruriæ Ducis munificentia Montfauconius Florentia secum traduxerat, « ut selectioribus studiis inter San-Germanenses vacaret, unde idoneus fieret suæ illius Dalmaticæ Congregationis bono in rebus seu ad sacras litteras, seu ad Monasticam disciplinam spectantibus consulere (1). » Sub idem tempus Parisiis edidit Bandurius *Imperium Orientale*, sive *Antiquitates Constantinopolitanas, in bina volumina digestas.*

II.

« Agmen eorum, quorum modo censum sum initurus, ducit Augustinus Calmetus. » His verbis incipit Commentariorum caput, cui inscriptio : « De aliorum Ordinum Regularium Viris aliquot eruditis, quorum singularis erat Lutetiæ existimatio (2) »; hoc fere ad verbum sequemur.

Etsi Benedictinam Regulam æque ac San-Germanenses Calmetus profitebatur, non tamen Congregationi Gallicæ S. Mauri adscriptus

(1) Quirinus, Comment., t. I, p. 94.
(2) Comment., t. I, lib. II, cap. II.

reperiebatur, sed Lotharingicæ S. S. Witoni et Hydulphi, degebatque in Cœnobio *Alborum Palliorum* nuncupato. Creber accedebat ad San-Germanenses invisendos, eaque occasione utebatur Quirinus ad enucleandas cum illo controversias quasdam in Sacrorum Bibliorum Commentariis, quos ab anno 1707 conscribebat, pertractatas. Necessitudinis quæ inter Quirinum et Calmetum intercesserat, testis adest Epistola ipsius Calmeti jampridem Præfecti generalis Congregationis S. Mauri, cujus tale est exordium : « Gaudio perfusus sum incredibili, dum vestras accepimus litteras humanissimas datas e Monasterio S. Galli die 28 sept. Recordatus sum dierum heu! nimis antiquorum, quibuscum Em. Dom. vestra et dulcissimis amicis, ac sodalibus nostris Surenæ ducebamus dies lætos et innocentes, et colloquiis fruebamur familiaribus atque eruditis. Hæc omnia mihi in memoriam revocarunt litteræ vestræ benignissimæ (1). »

Ad Surenam aliquando rusticatum Monachi devertebant; idque haud una tantum vice Quirino contigit cum Montfauconio, Calmeto, Bandurio, aliisque nonnullis.

Deinde, dum familias alias Regularium perlustrat, Quirinus primo loquitur de Patribus Oratorii Berulliani, quorum consuetudo et præsertim Nicolai Malebranchii, Jacobi Lelongi, Petri Lebrunii illum magnopere delectavit. « Primus, quod me haud mediocriter versatum comperisset in libris de *Inquirenda Veritate* ac *Metaphysicarum Meditationum*, haud ullo unquam tempore, quoties ipsum inviserem, dedignabatur multa mecum verba facere pro iis argumentis explanandis, quæ iisdem libris complexus fuerat; passusque præterea est me quibusdam ejus sententiis de veris præcipue et falsis Ideis aperte refragari. Contendebat nihil exitialius Physica Præmotione posse in Scholis theologicis doceri, perinde ac si Spinosæ et Manicheorum erroribus, per Baylum instauratis, adjumentum præstaret. Illam ipsam in libro recens emisso magnoque plausu passim excepto, cui titulus, *L'action de Dieu sur les Créatures*, assertam et propugnatam funditus convellere jam tum meditabatur; suosque conatus, quoad potuit, exercuit in libro, quem anno 1715 evulgavit, morti jam proximus (2). » Hanc quoque narratiunculam de eodem refert Quirinus : « Jacobus le Long, quamvis Mathematicarum et Philosophicarum facultatum amantissimus, indeque Patri Malebranche haud parum devinctus, una tamen historicas notitias adamabat, harumque causa fassus mihi est se aliquando haud leves quasdam sui illius magistri reprehensiones subiisse. Unde adduceretur Malebranche ad easdem contemnendas mihi ipsemet exposuit, tradens fieri non posse, quin historicæ notiones copiosius coacervatæ sese invicem e memoriæ loculis extruderent, ac propterea quin temporis in ea coacervatione impensi jactura seu cito, seu sero pœnitenda foret. Subdebat contra tam veritates mathematicas quam philosophicas

(1) Hæc epistola anni 1747 ad finem in Commentariis refertur, t. I, p. 99.
(2) Comment., t. I, p. 101.

sese invicem fovere et fulcire, atque glutino veluti quodam devinciri (1). »

Petrus Lebrunius totus erat in libris liturgicis illustrandis eorumque primum tomum an. 1716 publicavit. Hic certiorem Quirinum fecit de libro ante annos circiter viginti a se edito adversus P. Caffarum Theatinum magna et istum Parisiis existimatione habitum, haud leviter tamen fœdata palinodia quam ab Archiepiscopo Parisiensi recantare adactus fuerat, ob propugnatum Comœdiæ usum (2).

Inter Oratorienses quoque nominat Quirinus Patrem Reinaldum (3) Mathematicae scientia insignem, et Petrum Franciscum de Turre (4), qui supremam Præfecturam Berullianorum Sociorum eo tempore gerebat, « virum, inquit auctor, eximia gerendarum rerum peritia præditum, atque ob ipsam rarasque alias animi dotes, magno in honore habitum non tam apud suos quam apud illustriores Galliæ præsules, ceterosque magnates (5) ».

Insignes ex Ordine Prædicatorum laudat Quirinus Jacobum Echardum, Natalem Alexandrum et Michaelem Lequienium. Ille suæ erga Quirinum comitatis documentum reliquit in Præfatione quam apposuit novæ Editioni a se adornatæ Operum S. Joannis Damasceni.

Ad ædes Patrum Societatis Jesu, domum scilicet quam vocabant Professam et Collegium Ludovici Magni, multo frequentius quam ad alias quorumvis Ordinum Regularium, præter Benedictinos, se conferre solebat monachus noster. Joannes Harduinus facilem et expeditum illi se præbuit ad fundenda absque fuco paradoxa sua, et si ad eadem ejuranda haud multo antea adactus fuerat. Liberis verbis affirmare non dubitabat veterum Numismatum auctoritatem maximi faciendam insuper Vulgatam Divinorum Bibliorum Editionem et Concilii Tridentini Canones, quandoquidem alia sacræ Antiquitatis monumenta pleraque omnia *justa sublestæ fidei suspicione* laborarent (6). Somniaverat ille quemadmodum antiquissimos profanos Scriptores, seu Oratores, seu Poetas, seu Historicos, seu Philosophos, ita Ecclesiæ Patres, Synodos Episcopales, Decretales Pontificum atque alia hujusmodi Scripta, nil aliud quam suppositiones esse doctorum Cœnobitarum qui una simul cum seculo et conjuratione inita, tantis fallaciis struendis et concinnandis animum calamumque appulissent; unde Nicolaus Boileau jocabatur, dicens se monachos non ita adamare, attamen se non ægre tulisse vitam cum *Fratre* Horatio et *Domino* Vergilio peractam (7). « Portenta ista dum audirem, addit Quirinus, spatiando interea in Bibliotheca conjunctis cum Harduino passibus, accidit ut oculos converterem ad speciem libri quamdam ex ligno

(1) Comment., I, 101.
(2) Ibid., p. 102.
(3) Reineau.
(4) De la Tour.
(5) Comment., t. I, p. 102.
(6) Comment., t. I, p. 104.
(7) Cf. de Broglie, *op. cit.*, t. I, p. 105.

confectam, fictitioque titulo ornatam, pro implenda, ut alibi etiam fieri observavi, plutei extremitate, tunc statim libro illi manum injeci, ipsumque Harduini oculis objiciens, « En, dixi, hocce figmenti de quo agitur genus esse nemo profecto negaverit, in Jesuitarum tamen non in Monachorum officina fabrefacti. » Harduinum in rebus historicis adeo delirantem Clero nihilominus Gallicano idoneum visum fuisse cui colligendorum Conciliorum provincia demandaretur, hoc profecto quamplures ad maximam admirationem pertraxit (1).

Pater Daniel, qui Gallicæ Historiæ conscribendæ jam summopere incumbebat, adeo libenter cum Quirino versari solitus erat, ut nihil foret quod non tantæ voluptati posthaberet.

Carolum de la Rüe et Honoratum Gaillardum, insignes verbi Dei præcones invisere non omisit Quirinus; haud semel allocutus est Michaelem Tellerium, qui in munere Regis confessiones audiendi exceperat, anno 1709, Patrem de la Chaise, pariterque Isaacum Martinellum qui Delphino, Burgundiæ Duci, a confessionibus erat, cujus virtutes edito libro, an. 1712, celebravit (2).

III.

Multos quoque, dum provincias perlustrabat, monachos labori addictos cognovit Ang. Mar. Quirinus, et inter eos Dionysium a Sancta-Martha, Bernardum Lamy et Alexium Lobineau.

Ultimis diebus anni 1711, quum Cœnobium S. Dionysii petiit ut in eo Natalitia Festa transigeret, Dionysium a Sancta-Martha, Monachorum Præsidem, virum doctissimum, ipsi notum ex Vita Cassiodori et S. Gregorii Magni Operum Editione, Quirinus invenit. S. Gregorii Editio præcipuam colloquendi materiam eis præbuit; at præterea Dionysius a Sancta-Martha exacte recensuit alia Opera a se evulgata, nimirum de Confessione Auriculari adversus Dallæum, de Revocatione Edicti Nannetensis, de Studiis monasticis adversus Armandum Rancæum, et demum de Vindiciis Editionis San-Germanensis Operum S. Augustini. Operi Galliæ Christianæ, quod San-Marthanorum laboribus debemus, tunc incumbebat; cujus primum tomum, an. 1715, in lucem emisit, alterum an. 1720, tertium an. 1725, quo mortuus est. Comperit Quirinus Patris San-Marthani Scripta in contentione suscepta adversus Rancæum, Abbatem Trappensem, haud æque arrisisse San-Germanensibus omnibus, nam quidam ex ipsis nimiam eorumdem acrimoniam, salesque etiam amaros, quibus inspersa erant insimulabant (3).

Rothomagi, a Patre Willelmo Bessino, qui novæ Conciliorum Normandiæ Collectioni, post mortem Joannis Bellaisi, operam dabat, de-

(1) Comment., t. I, p. 105.
(2) Comment., t. I, p. 106.
(3) Comment., t. I, p. 146; de Broglie, *op. cit.*, t. II, p. 150.

ductus erat Quirinus ad Patrem Bernardum Lamy, quem eo libentius inviserat quod familiares in Italia habuisset libros quamplures ab eo compositos. Multa de eorum argumentis percontatus senem interrogavit num revera liber « La Grandeur en général » ab eo fuisset, dum pedibus iter haberet Gratianopoli Parisios confectus; quod ille non modo non negavit, verum etiam cum solito more consentaneum dixit esse, utpote qui etiam tunc, licet ætate provecta, soleret quotannis Rothomago Parisios pedibus pariter migrare, nonnullaque interea ita revolvere ut non multo post in scripta redigi, typisque mandari possent (1).

Rhedonibus, in Abbatia benedictina S. Melanii, nactus est Quirinus Guidonem Alexium Lobineau qui quantum laboris in Britanniæ historia texenda insumeret eum docuit. Lepide narrat in Commentariis se inter San-Germanenses reducem, in medium attulisse argumenta P. Lobineau, unde meridiana luce clarius innotesceret Britanniam omni tempore immunem fuisse beneficiarii illius juris quod Normanni falso jactabant, ac proinde ipsam in Galliæ Coronæ dominationem immigrasse postquam Principibus tantum suis per annos mille paruisset ; Patrem autem Nourry, qui ortum duxerat Dieppæ, rem tam ægre tulisse ut, patientiam abrumpens, Quirinum conviciis affecerit (2).

Cum his plerisque, in Italiam regressus, et inter eos cum Montfauconio et Renato L'Aneau, Præside Generali San-Maurinæ Congregationis, Quirinus aliquam consuetudinem servavit. Eam testantur non solum privatæ epistolæ (3), sed multo magis consilia de Historia monastica suscepta, a Monfauconio Quirino juveni benevole data (4), epistolaque typis mandata in qua, ut Montfauconio gratificetur, omnes Platonis Vaticanos Codices Quirinus excutit et expendit (5), dolor denique quo inopinata Montfauconii morte se affectum ostendit in litteris suis sive ad Renatum l'Aneau, sive ad Benedictum XIV exaratis (6). « Acerbissimum, scripsit Quirinus Renato l'Aneau, quo afficior dolorem ex repentino obitu Cl. Viri Bernardi Montfauconii facile intelliges, R. P., etiam tacente, si Epistola typis vulgata quam viginti abhinc diebus ad ipsum dedi... ad tuas manus pervenit. Ea siquidem testatum facere tibi valuit quam arcto necessitudinis vinculo ex studiorum cognatione cum illo adstrictus reperirer vel ab eo tempore quo Italiam ingressus ad Florentinam Abbatiam divertit, et binis in ea mensibus hospitatus est ; quamque illud arctius evaserit, postquam Lutetiæ ipse totidem annis substiti in San-Germanensi Cœnobio, nihilque foret nostra familiaritate conjunctius... Amisit in eo homine Benedictinus Ordo noster decus eximium, Gallia virum toto orbe ce-

(1) Comment., t. I, p. 202.
(2) Comment., t. I, p. 210 et 230.
(3) Bibliothèque nationale, fs fr. 17 911 ; 8 epist. Quirini ad Montfauconium ; Bibliotheca Queriniana, 11 epist. Montfauconii ad Quirinum.
(4) Comment., t. II, p. 16, 17.
(5) Coleti, p. 17 ; epist. VII Monfauconio 9 Kal. Jan. 1741.
(6) Coleti, p. 26 et 112 ; cf. Coleti, 93, 100, 102, 672.

leberrimum, litteraria omnis Respublica ingenium præstantissimum, ætas ista scriptorem omnium sæculorum memoria dignissimum (1). »

Responsionem Præsidis Generalis, eximias Montfauconii laudes complectentem, nihil antiquius habuit Quirinus quam ut Summo Pontifici impertiret. Epistolæ autem initium hujusmodi est : « Unus idemque tabellarius a te nobis binas tuas litteras eodem tempore reddidit... Ut æque, etsi, quatenus a te veniebant, summo nos gaudio affecerint, dolorem quem ex tanti viri desiderio sustinebamus renovarunt, immo auxerunt; lacrimæ enim quas repentinus senis optimi interitus tibi excussit, fletus quos tempus et Religio coercere cœperant, abundantius moverunt, et flere tecum eadem de causa nobis voluptati fuit. Isthæc sola nos consolatio sustentavit, videlicet quod eximii amici tui sepulcrum floribus persperseris, quod eloquium ære perennius in ipsius tumulo tute incideris, quod mortuum æque ac vivum colueris, quod scripta ejus scriptis tuis celebraveris atque æternitate et immortalitate donaveris... Nec te nostra comparatio moveat, Cardinalis dignissime; nam etsi honoris amplitudine et splendore eum longe superaveris, certe ille nobili et antiquissima stirpe erat, majoresque habebat habueratque quorum virtus domi militiæque ac in Ecclesia commemorabatur, adeoque proceribus cum Ecclesiæ tum Regni acceptissimus erat, atque apud eos plurimum gratia pollebat. Tacemus enim quanti eum Reges et Imperatores, ac potissimum beatæ memoriæ Summus Pontifex Clemens XI fecerint. Hoc unum dicimus Montfauconium in Principum familiaritate versari nunquam voluisse, nisi quum officium pietatis postularet. Doctorum enim virorum quibus in deliciis semper fuit, consuetudine dumtaxat delectabatur, etc., etc. (2). »

Post Montfauconii mortem, studiosæ disciplinæ memor, qua in Parisiensi Cœnobio instructus erat, Renato l'Aneau, S. Maurinæ Congregationis Præsidi generali, duo nonnullius momenti opera, id est alteram editionem eruditissimi libelli *de hymnis quadragesimalibus Græcorum* et ***Synopsin Diatribæ de Cardinalis Poli vita***, utramque inferius nobis explicandam, nuncupavit. In earum procemio San-Germanenses judices appellabat illorumque præ ceteris excellentiam profitebatur « quos primas in omni litteraturæ genere tenere tot præstantissima volumina in publicam lucem ab ipsis educta certo certius demonstrabant (3). »

(1) Coleti, p. 26.
(2) Coleti, p. 112.
(3) Coleti, p. 183. — Quirinus Renato l'Aneau, Præsidi, etc. Coleti, pp. 136 et 183, Ep. XXV, Kal. Aug. an. 1743 et XXVIII, 5 Kal. Apr. 1744. Ren. L'Aneau Quirino, Biblioth. Quiriniana, 1er octobre 1742 et 29 octobre 1743.

CAPUT IV.

DE COMMERCIO QUIRINI CUM GALLIÆ VIRIS ERUDITIS NULLI RELIGIOSÆ FAMILIÆ ADSCRIPTIS, PRÆSERTIM CUM SOCIIS REGIÆ ACADEMIÆ INSCRIPTIONUM ET POLITIORUM LITTERARUM.

Qui Bibliothecæ Quirinianæ indices evolvit quinquaginta et amplius conspicuorum Gallorum nomina ibidem reperit, quibuscum Quirinus epistolarum commercio junctus est. Præterea *Commentariorum* capita eisdem Gallis data inter operis jucundissima existimanda sunt, quippe quæ cujusvis eorum imagines fideliter et lepide paucis verbis depictas oculis subjiciant.

I.

Testis adsit ante omnes Eusebius Renaudotius, nam ut præ ceteris eo familiariter uteretur Quirinus effecit mos ille quem habebat in San-Germanensium ædibus dies Dominicos festosque et eorum vigilias transigendi, ut precibus divinis ibi plurimum vacaret, reliquas tamen horas eruditis colloquiis impertiret. Illum sequamur in cubiculum quod sibi assignari obtinuit, nonnullis monachis cum eo et Quirino ad mensam assidentibus, confabulantemque audiamus de iis omnibus quæ litteris aut jam mandavit aut mandare meditatur (1).

Adsit et Jacobus Turellius qui diebus singulis, post solis occasum, cubiculum Quirini intrare solebat, et cum illo duas tresve horas insumere ut conjunctis studiis difficiliora quædam Demosthenis loca expenderent. Ejusdem tertiam versionis editionem « infidus ille interpres », ut aiebat Montfauconius, eo tempore typis destinabat (2).

Nobis dicat Andreas Dacerius quam valde Quirinus curaverit ejus in Græcis litteris peritia proficere! Quoties doctissimæ conjugis Annæ Daceriæ, Tanaquili Fabri filiæ, ad veteres scriptores Græcos interpretandos subsidium poposcit! Quoties celebre illud Distichon in eamdem confectum recitavit!

Docto nupta Viro, docto prognata Parente
Anna, Viro major, nec minor, Anna, Patre (3).

(1) Comment., t. I, p. 107, 117, 118, 203-205, 211, 219, 220, 247, 253, 260, 261, 267, 268; t. II, p. 16, 25, 27, 45, 46, 60, 62. — Coleti, 117, 119, 121, 123, 127, 129, 131, 132. — Biblioth. Quiriniana, 15 epistolæ. — Cf. De Broglie, op. cit., t. I, p. 65.

(2) Comment., t. I, p. 111, 209, 215, 218, 219, 226, 227, 256, 269. — Coleti, p. 120, 122, 123, 125. — Biblioth. Quirin. 1 epistola.

(3) Comment., t. I, p. 110, 268. — Coleti, 117, 130. — Biblioth. Quirin. 1 epistola.

Joannem Boivinium advocemus quem ut perlibenter adiret Quirinus in causa fuerunt illius exquisita græcanica eruditio, morum urbanitas, cum San-Germanensibus amicitia, præfectura denique quam gerebat Regiæ Bibliothecæ (1).

Adveniant Claudius Fleury, ecclesiasticæ historiæ scriptor, Franciscus Timoleon Choisy, curiosa de suo ad Regem Siami itinere narrans, Carolus Rollinus, J. M. Tilladet, Guil. Massieu, Claudius Franciscus Fragnier, Nicolaus Joseph Foucault, Antonius Oudinet, Bernardus de Fontenelle, Antonius Galland, J.-B. Rousseau, J.-F. Simon, Nicolaus Henrion, Carolus Cæsar Baudelot, rara quidem consuetudine cum Quirino devincti, Claudius de Boze, in Academia Inscriptionum per annos circiter quadraginta Perpetuus Secretarius, cui quam familiaris Quirinus evaserit, postquam in eamdem Academiam admissus fuerit declarant litteræ quas in suis latinarum Epistolarum Decadibus publici juris fecit (2).

Neque hoc loco abesse debent illustres Abbates Tellerius et Bignonius. Ille Regiæ Bibliothecæ præfectus omni humanitate indulgebat ut Quirinus pretiosos codices quibus ea maxime abundabat ad S. Germanenses ædes, ad laborandum, secum deferret (3). Cum Bignonio vero, in eadem provincia Tellerii successore, ea necessitudine conjunctus vixit, ut inde adductus fuerit ad Decadem alteram latinarum epistolarum ei inscribendam, hisque verbis nuncupatorias litteras inchoaverit : « Biennii illius cursum, quem triginta abhinc annis Lutetiæ transegi, quemadmodum nulla res animo meo jucundiorem efficere valuit, quam frequentissima cum litteratis viris consuetudo, cujus potiundæ maximam mihi opportunitatem largitæ sunt Ædes San-Germanenses, meum in ea Urbe domicilium, omnigenæque eruditionis, sacræ præsertim, Athenæum, ubi celeberrimus virorum illorum conventus quotidie ferme agebatur; ita nihil in præsens memoriæ meæ tristius occurrit quam eos plerosque omnes jam e vivis excessisse. Hanc tamen ægritudinem profecto haud mediocriter levat, quod videam, singulari Dei Optimi Maximi beneficio superstitem te adhuc, Bignoni Abbas amplissime, quem vel eo tempore, ceu fulgidissimum litteraturæ lumen, colebam venerabarque; nec superstitem tantum, sed de studiis omnibus bonarum artium excolendis tuendisque adeo sollicitum, perinde ac si diuturna ætas quam attigisti nihil omnino de prisco mentis tuæ vigore decerpsisset (4). »

Quis non delectaretur descriptione Ludovici de Courcillon de Dangeau nihil antiquius habentis quam cuilibet ipsum adeunti copiam fa-

(1) Comment., t. I, p. 109, 266, 267. — Coleti, p. 117, 129. — Cf. de Broglie, op. cit., t. I, p. 68. — Biblioth. Quirin. 1 epistola.

(2) Comment., t. I, p. 119, 133; — Coleti, p. 73, 166, 169, 175, 176. — Epist. XIV Claudio de Boze, Perpetuo secretario, etc., 6 Kal. Novemb. 1742; et epist. XXVII, 10 Kal. Januarii 1743. — In Bibliotheca Quiriniana, 20 epistolæ (17 août 1742, 14 janvier 1753).

(3) Comment., t, I, p. 120.

(4) Comment., t. I, p. 120. — Coleti, p. 110, epist. XXII Abbati Bignonio, Kal. Martii 1743. — In Biblioth. Quirin. 3 epistolæ.

cere doctrinæ suæ; « De qua re vis me sermonem habere? » quemque interrogantis; statimque exhibentis e thesauris suis seu geographica, seu chronologica, seu poetica, seu historica, seu gentilitia, seu alia quævis (1).

Quis denique non indulgeret italicis cantionibus, quas Franciscus-Seraphinus Regnier-Desmarais, Quirino tantam Etruscæ linguæ peritiam miranti, comiter inscribebat (2); aut gallicis, quibus Bernardus de la Monnoye et Antonius Houdart de la Mothe, eo ipso tempore quo novam nomini suo celebritatem ex impugnata homerica poesi quærebat, Cardinalis Destræi mensam exhilarare consueverant (3)?

Injuriam facerem Rodulphi Boutardi memoriæ, si hanc nomenclaturam concluderem ejus nomine penitus omisso, quod satis celebre fecerunt carmina plura, ab ipso adeo jactata, ut dignum ipsemet qui diceretur *Venusini pectoris hæres, Vatemque Borbonidum*, titulum Regii Poetæ sibi vindicans, se denuntiaverit (4).

II.

Ex Doctoribus et Professoribus Universitatis Parisiensis plures dignoscendi et alloquendi Quirino adfuit occasio, propterea quod frequenter interesset publicis Actibus ejus Universitatis ac Sorbonicis præsertim. In commentariis igitur memorat Honoratum Tourrelium, in Sorbonæ Scholis eminentem, Ludovicum Habertum Scriptis theologicis præclarum, Carolum Witassum, primas, Quirini sententia, in eadem societate gerentem, Edmundum Purchotium, Rectorem Universitatis, Joannem Grancolasium, Historiæ Parisiensis scriptorem, haud magni vero a San-Germanensibus existimatum. Sed duobus tantum familiariter usus est, Jacobo Boilevio (5) et Ludovico Dupinio.

Jacobus Boilevius, frater Nicolai, qui obierat uno mense antequam Quirinus Lutetiam ingrederetur, et ipse ingens nomen inter viros doctos obtinebat, narrationesque suas facetis dictis condire assueverat. Jactabat, cum Quirino collocutus, præ ceteris libris quos scripserat, nonnullos quorum inscriptiones hæ sunt : De antiquo jure presbyterorum in regimine ecclesiastico; De antiquis et majoribus Episcoporum causis; De Historia Confessionis Auricularis; De Regia in matrimonium potestate; De Historia Flagellantium; De librorum circa res theologicas approbatione; De Re beneficiaria. Quum autem ab eo Quirinus non tantum ad libros legendos, sed ad judicium libere depromendum, invitaretur, satis expedite se periculo liberabat. Sic « de re beneficiaria » interrogatus, respondit « tractatam in eo libro mate-

(1) Comment., t. I, p. 118.
(2) Comment., t. I, p. 112.
(3) Comment., t. I, p. 116; Coleti, epist. XXIV, p. 126 et passim.
(4) Comment., t. I, p. 122; Coleti, *ibid.*
(5) Boileau.

riam nihil spectare ad hominem monasticæ vitæ addictum, ejusdem vero interesse, ne flagellatio ex sacro illo instituto præscripta in invidiam vocaretur (1). »

Majoris pretii est altera narratiuncula quam de Ludovico Dupinio refert Quirinus. Etsi quorumdam judicio, in Italia præsertim, ille censeretur nemini secundus in universa eruditione, visus tamen est Quirino, ut ait ipse, « levis prorsus armaturæ ». Minime quidem doctrina vigens habebatur a San-Germanensibus. Hisce excitantibus, utrum solida an fucata tantum Dupinius eruditione polleret multimodis expertus est. Quirinus expendenda susceperat quæcumque spectarent ad Edmundum Richerium, quumque putaret uberrimam de eo messem inventum iri in Dupiniana Bibliotheca Scriptorum Ecclesiasticorum sæculi XVII, miratus est in eadem diligenter versata ne ipsum quidem Richerii nomen comparere. Dum semel igitur domi Dupinium convenisset, ei narravit quod sibi recens acciderat. Dupinius autem, indignanti similis, manum statim admovit libro quo continebatur Tabula generalis ejusdem Bibliothecæ, facileque in ea detecto Richerii nomine Quirini indiligentiam verbis minime lenibus redarguit. At Quirinus, cui compertum jam erat nomen illud in ea Tabula extare provocavit Dupinium ad Bibliothecam ipsam. Tunc ille, apertius subirascens, Bibliothecæ tomum in tabula allegatum avidis manibus arripuit, certo confidens Richerii res gestas, quas affirmabat se lato calamo tractasse, in eodem non defuturas. Eum itaque totum a capite ad calcem semel iterumque pervolutavit, nec destitit id agere, donec certo dignovisset Richerii nomen quod extabat in Tabula, in Bibliotheca omnino desiderari. Quirinus, ut decebat, cum eo pudore suffuso comiter egit, sed cum San-Germanensibus, a cachinnis non abstinuit quos eventus merebatur (2).

Contra, tanta admiratione motus est Quirinus erga Abbatem de Longuerue ut eum principem omnino locum inter Eruditos quibuscum Parisiis necessitudinem conjunxit tenuisse dixerit : « Statim ac Lutetiam ingressus sum, inquit, adeo ille me cepit immensa sua eruditione, miraque facilitate in eadem exerenda, ut nullus ferme mihi dies effluxerit, quin eumdem domi convenirem. Quotiescumque autem ab eo discedebam, maximo stupore correptus ob suæ illius suppellectilis copiam, qua me quodammodo obruerat, vix animo meo fingere poteram, omnes hominem illum ex hydria sua aquas non effudisse, putabamque proinde, dum postero die ipsum adirem, eumdem jejunum et aridum deprehensum iri. At contra prorsus accidebat, quod mihi sese exhiberet homo iste novis novisque jugiter thesauris refertus. Quare Horatii versus istos justam causam habui mihi et illi accommodandi eosdemque passim recitandi iis omnibus qui meum de Abbatis illius eruditione judicium sciscitabantur :

(1) Comment., t. I, p. 130.
(2) Comment., t. I, p. 128.

Rusticus expectat, dum defluat amnis, at ille
Labitur, et labetur in omne volubilis ævum (1). »

Petrum Joseph Alary quotidie in Abbatis de Longuerue domo Quirinus, seu cum eo colloquentem, seu libris legendis in Bibliotheca ejusdem vacantem invisit. Suam cum Alary consuetudinem haudquaquam abrupit in Italiam redux, quam testantur nonnullæ litteræ in Bibliotheca Quiriniana servatæ ; una ex illis ad Abbatis de Longuerue mortem spectat (2).

III.

In Galliæ provinciis haud secus ac Lutetiæ eruditorum colloquia Quirinus quam maxime quæsiverat; Aureliani Baluze, Antisiodori Lebœuf, Divione Bouhier inter omnes noverat.

Baluze, non tantum de causa ejus exsilii, scilicet de Historia genealogica Alverniæ familiæ plura ei exposuerat, sed Quirino asserente libros ab eo compositos in Italia perlectos esse, quum suspicaretur nullo in pretio ab Italis haberi ob latam adversus quamplures ex ipsis censuram ab Indicis Congregatione, magnum gaudium significaverat (3).

Le Bœuf, studium impendentem Vitis Antisiodorensium Præsulum illustrandis, semel iterumque solum allocutus erat (4). Cum Bouhier contra aliqua familiaritate, usque ad mortem, usus est. Is, dum Divione permanserat Quirinus, assiduus ei adfuerat, nullam partem celans litterariæ supellectilis, qua mirum in modum ipsius Bibliotheca et Musæum abundabant. In primis exhibuerat manuscriptos Codices tam multis, tam variis sacræ et profanæ Antiquitatis monumentis ad Burgundiæ historiam pertinentibus refertos, ut non alio quam Thesauri Burgundi nomine ipsos designandos existimaverit. Mirabatur quidem Bouhier Quirinum Divionensium rerum peritissimum esse. Multis annis postea, Cardinalis in Epistola epigraphica de Diptyco Brixiano Boœtii Consulis locum invenire curavit annotationes quas ei transmittere dignatus erat præstantissimus ille Divionensis Parliamenti Præses; tota epistola de hoc argumento a Bouhier scripta eamdem comitatem spirabat quam Quirinus Divione in eo expertus erat (5).

Novos, aliquanto post, epistolarum opera, amicos in Gallia sibi paravit Episcopus Brixiensis, ut Nicolaum Freret cui grandes lit-

(1) Comment., t. I, p. p. 113 et 227. — Coleti, p. 126. — In Biblioth. Quirin. 3 epistolæ Abb. de Longuerue ad Quirinum.

(2) Comment., t. I, p. 126. — In Biblioth. Quirin. 11 epistolæ.

(3) Comment., t. I, p. 213. — Cf. Saint-Simon, t. III, p. 366; — t. IV, p. 158; — t. V, p. 326.

(4) Comment., t. I, p. 248 ; Coleti, p. 126.

(5) Comment., t. I, p. 250; Coleti, p. 126. — Biblioth. Quiriniana. — Biblioth. nationale fonds fr. 24418 et 24469.

teras de suis operibus et præsertim de Diptychis nuncupavit (1), Ludovicum Racine quocum, Cartesii opinionem secuto *Bruta Automatibus aggreganda esse*, controversiam inivit (2), denique Patrem Valois, Rupellensem Academicum cui, inter plures epistolas, nounullas de rebus ad Bibliothecas pertinentibus exaravit (3).

Omnes eas epistolas ad se, sive per Galliæ provincias peregrinantem, sive reducem in Italiam, scriptas « ceu margaritas », ut ait, diligenter asservandas curavit. Earum fragmenta in variis operibus recitavit, nec multum abfuit ut integram collectionem publici juris faceret (4); nobis posteris desiderandum est Quirinum cogitatum non perfecisse.

(1) Coleti, p. 162. — Biblioth. Quirin. 1 epistola.
(2) Comment. Contin., t. II, p. 265. — Lettera al sign. Marchese Carlo Rinuccini, 24 Agosto 1747. — Œuvres de Louis Racine, éd. 1823, p. 551. Biblioth. Quirin. 10 epistolæ.
(3) Recueil de lettres, etc. Biblioth. nationale.
(4) Coleti, p. 117.

CAPUT V.

DE COMMERCIO QUIRINI CUM NONNULLIS ILLUSTRIBUS GALLIÆ VIRIS, PRÆSERTIM CUM FENELONIO, FLEURIO ET VOLTAIRIO.

Prætermissis in hac opusculi nostri parte tum Advocati generalis Daguesseau, Marchionisque et Marchionissæ de Torcy, tum Cardinalium de Noailles et d'Estrées epistolis, quarum priores amicitiam tantum demonstrant scribentium, posteriores vero nihil nisi tritum nunc nobis suppeditarent, ut quæ nobis antea profuerint ad explicanda negotia ecclesiastica quibus interfuit Quirinus, nobis imprimis obversantur oculis quæ ad Quirinum a Fenelonio, Fleurioque et Voltairio scriptæ sunt; nam inter epistolas eidem missas amplitudine, arte et ingenio primum locum obtinent.

I.

Quamvis Fenelonius, dum Cameracensis Diœcesis, an. 1711, atroci bello turbabatur, vix Quirinum e Belgio Lutetiam transeuntem inviserit, de illo tamen, singulari ingenii acumine, adeo rectum et æquum judicium fecit ut in litteris suis quæcumque postea de Quirino amici aut inimici dicturi essent præsentire videatur; summa caritate et lenitate eadem illi exprobrat quæ, post quadraginta annos, Voltairius acerbis et mordacibus verbis. Quam apte et recte eum monebat, quum, illius profectionem invito animo ferens, de tot colloquiis amissis adderet : « Nobis sermo fuisset de rebus quæ ad religionem attinentes unum esse negotium debent Christianorum omnium ac potissimum eorum qui Christianos ceteros docent Evangelium. *Habita pro nihilo doctrina qua homines inflantur*, caritatem qua meliores fiunt fuissemus simpliciter prosecuti. Non sine quadam ægritudine locuti de iis qui nunc omnia temere carpendo labefactant, defletis unde fœdissima orta sunt mala dissensionibus, ad summam dixissemus nihil melius esse quam sapientiam ipsam temperare et *sapere ad sobrietatem*... Fugiamus ergo quidquid nonnisi ad mentem exsatiandam aut excolendam valet. *Sed posteaquam mihi curarum ecclesiasticarum sarcina imposita est, omnes illæ deliciæ fugere de manibus ita ut vix nunc ipsum codicem inveniam.* Religione undique laborante, veritate periclitante, jactata vento Petri navicula, oremus, humiliemur, ut Deum placemus (1). »

(1) Fenelonius Quirino. Comment., t. p. 294.

Ad eadem revertitur in hac altera epistola : « Huic Ecclesiæ matri et dominæ opus est pluribus etiam sanctis quam sapientibus. Ab ea nobis accipienda est institutio : illius ego ubera volo velut parvulus quidam haurire. Oportet vero ut auctoritate exemplorum ejus efficiamur dociles, simplices, humiles et utilitatum nostrarum incuriosi. Quo violentius a filiis rebellantibus redarguitur et contemnitur, eo latius debet Jesu Christi bonum odorem diffundere. Cave ne augeas numerum eorum qui acutissimo quidem et curiosissimo ingenio pollentes doctrina tument, sed Fidei verbis innutriaris ut homines doceas quomodo se abdicantes pauperes spiritu fiant. Parce precor, R. P., si studio meo molestus fuerim; nam quo magis te diligo et colo, eo magis quod unicum est bonum tibi exopto. *Æmulor enim vos Dei æmulatione, Cupio te in visceribus Christi* (1). »

Tertium denique : « Utinam Deus te simplicitatis et virtutis spiritu ipse afflet, ut neque naturæ impetum, neque doctrinæ cupiditatem, neque mentis exornandæ et cum doctissimo quoque conversandi voluptatem sequaris, sed præsepium Christi, ingenuitatem, et Crucis dementiam. *Nos stulti propter Christum* (2). »

Non minoris pretii existimandæ sunt Fenelonii litteræ utpote spectantes ad Gallicanæ Ecclesiæ statum; præ se ferunt egregium animum quo maximus ille Præsul ferebatur ad catholicam causam adversus « Criticorum » audaciam et Jansenistarum errores tuendam. Rara quidem eloquentia nonnullæ enitent, quum Gallicanæ Ecclesiæ navem adversa tempestate actam Romanæ navi feliciter per æquora procedenti comparant : « Romæ expones quæ vidisti in gente ubi quam maxime commoventur animi, ubi navis jam in extremo periculo versatur. Permaneat in Italia tranquillitas!

Vivite felices quibus est fortuna peracta
Jam sua : nos alia ex aliis in fata vocamur.
Vobis parta quies; nobis maris æquor arandum.

Ne tamen Italicæ Ecclesiæ tranquillitas somnum afferat iis quos decet universæ Ecclesiæ vigilanter consulere! Ab illis oriatur remedium! ...Tibi dicam quæ dicebat S. Augustinus Aurelio : Ecclesia in multis patitur, in multis gemit... multa sunt quæ de vita nostra et consuetudine deflerem, quæ nollem per litteras ad te venire, si inter cor meum et cor tuum ulla essent ministeria præter os meum et os tuum (3). »

Quum eas epistolas, tanto tempore peracto, non sine quodam animi motu legamus, minime miramur Quirinum jam senescentem in Commentariis scripsisse : « Hærent memoriæ meæ argumenta omnia quæ a Præsule illo seu narrata, seu disputata sitientibus auribus captavi; et præterea quænam ea fuerint, oculis meis fidem nunc etiam faciunt plures ejusdem litteræ, quibus nihil exstat pretiosius in scriniis meis (4). »

(1) Comment., t. II, 47.
(2) Comment., t. I ll. 10.
(3) Comment., t. II, p. 9.
(4) Comment., t. I, p. 83.

II.

In Fleurii epistolis, quamvis magni quoque pretii existimandæ sint, nihil tam excelsum, tam magnificum objicitur. Quum Fleurius loquitur de officiis hominis rebus divinis addicti, honores tantum et propriam utilitatem intueri videtur. Quirini ad Corcyrenses insulas reservati, tanquam exsulis et relegati vicem dolet; eidem Brixiam translato gratulatur, « quod hæc diœcesis ditissima multum reddit (1) ». Majora nequiquam exquirimus.

Quod ad se ipsum attinet, præcipue studet haud illitteratus videri tam litterato viro ; epistolas igitur, non sine putida quadam eruditione, innumeris latinorum scriptorum locis illustrat.

Nonnunquam, ut discipuli magister, Quirini epistolas castigat : « Dignus fuisses, ait, qui in *rhetoricam classem* fuisses admissus, nisi solæcismum perpetravisses, quum scripseris :

Quantum lenta solent inter viburna cupressus.

Tuum *thema* emendare me delectat (2). »

Plurimas ipse litteras grammaticis jocis redundantes exarat (3).

Itaque Quirinus, ut illius imbecillitati insidietur, hujusce generis laudibus vulgatæ epistolæ initium facit : « Quoties litteras tuas, Præclarissime Cardinalis, easque non omnino infrequentes, accipio, toties maxima me subit admiratio, plerasque iis eruditæ antiquitatis luminibus enitere, ut non inter gravissimorum negotiorum tractationem, sed in litterario otio conscriptæ videantur, ac proinde, potius quam principem amplissimi Regni administrum, nec unius tantum nationis, sed universæ Europæ commoda difficillimis temporibus curantem, referant mihi Forojuliensem illum antistitem quem olim tranquilla in sede morantem invisi » (4).

Illum monet de litterariis operibus a se susceptis, præsertim de Barbari epistolis et de vita Pauli II; Fleurius autem ingeniose et lepide respondet, Barbaros, Barbaricos et Barbarigos, ipsasque, ut ait, *Noctes Vaticanas* Cardinalis Quirini illudens (5).

Nos tamen magis capit Fleurius quum in suis epistolis qualis fuerit patefacit aut res ecclesiasticas ita exponit ut Quirinus, ab Urbe, Galliæ ministris operam præbere possit.

Voltairius Fleurii epistolas a Quirino vulgatas in ludibrium, more

(1) « J'avois appris votre déportation à l'isle de Corfou, etc. » Comment., t. II, p. 229. — « C'est un beau pis aller qu'un évêché des plus riches d'Italie, etc. » 1er Mars 1732. Comment. t. III, p. 278.

(2) Comment. t., II, p. 3, 1714.

(3) *Ibid.* t. II, p. 10, 13.

(4) Coleti, p. 7. — Epist. III, Em. et Rever. D. Andreæ Herculi de Fleury, Galliarum Regni Administro, etc. 23 Maji 1741.

(5) Cf. supra pars I, cap. V, p. 34; Comment., t. III, p. 304, 305.

suo, vertit, ut quæ simulatos animi sensus fictamque modestiam exprimant (1).

Contendit enim Fleurius se magno dolore oppressum fuisse quum, Ludovici XIV testamento, Regis Præceptor designatus fuerit (2); se proferendæ auctoritatis incuriosum

Nec jam prima peto (3).

secessumque, Issiaci, libentissime captantem fatetur :

Ille terrarum mihi præter omnes
Angulus ridet (4)...

Attamen Voltairium veritatem egressum esse nobis videtur; nam, omni tempore, quicumque rebus publicis immixti fuerunt, si forte aliqua lassitudine laboraverunt, eadem ac Fleurius declarare soliti sunt; Fleurius ipse se, non Forijulii desiderio, sed otii quo Forijulii fruebatur, affectum esse confessus est.

Ut primum Cardinali Fleurio innotuit Ang. Mar. Quirinum in Summi Pontificis gratiam venisse, cœpit eum rerum ad Ecclesiæ gallicanæ statum pertinentium certiorem facere. Illum minime sequi possumus de Constitutione *Unigenitus* multa disserentem, sive populi et clerorum turbatam mentem depingat, sive Cardinalem Noallium, honestissimum quidem, cum nonnullis tamen *atrocis animi* et *clarescere magnis odiis* cupientibus viris conjunctum improbet, sive Sorbonicum corpus delirans, Ducem Aurelianensem, fluctibus ablatum, schismaque imminens Curiæ romanæ oculis subjiciat (5). Ejus sententia his verbis, sæpius repetititis, tota comprehenditur : « Pace etiam injusta opus est (6). »

Quum addiderimus Fleurii epistolas, quamvis ecclesiasticis negotiis primum locum tribuant, politicas res quoque, ut contentionem inter Summum Pontificem et Venetam Rempublicam exortam, conatus Francorum Regis ad eamdem sedandam, bellum denique Austriacum gestum in Italia, interdum attingere :

Brixia væ miseræ nimium vicina Cremonæ (7)

satis superque ostenderimus quanto usui historiarum scriptoribus

(1) Voltaire à M^me Denis, 9 juin 1752 : « Dieu merci! nous lui avons obligation des lettres du cardinal de Fleury; elles sont curieuses. On y voit le désespoir sincère de notre premier ministre de ce qu'il n'est plus dans sa petite ville de Fréjus. Il a presque répandu des larmes quand il a été nommé précepteur du roi ; il n'a accepté ce poste que malgré lui ; il s'en plaint amèrement; c'est un beau monument de sincérité. »

(2) « La vie que je mène est si opposée à mes projets que j'ai regretté plus d'une fois ma solitude de Fréjus... J'en ai été malade, et je ne me console pas de la perte de ma liberté. » Comment., t. II, p. 76.

(3) Comment., t. II, p. 113.

(4) *Ibid.*, III, 287; 9 janv. 1735.

(5) Comment., t. II, p. 77; 83-87; 113; t. III, p. 277.

(6) *Ibid.*, t. II, p. 77 et 86.

(7) Comment., t. III, p. 279, 280, 283, 285, 287, 289, 290, 295, etc., etc.

esse possint, et, sine mora, alias epistolas, ad Quirinum ipsum magis spectantes, aggrediemur.

III.

Voltairius et Quirinus alter alteri placendi curiosi videntur; nam Voltairius Quirino carmina mittit, Quirinus eadem transfert in latinum aut italicum sermonem; epistolarum denique commercio juncti sunt. Sed, si res penitus perspiciuntur, ut Voltairius Quirinum illudit, ita Quirinus, blanditiis allectus, tam bono animo est erga Voltairium ut de ejus sincera fide et sensibus catholico homine dignis testimonium perhibeat (1).

Commercium illud e *Poemate de Fontanejo* originem duxit, quod Voltairius Cardinali miserat, cum jucunda epistola in qua fatebatur Gallos ceterosque populos ab Italis artes et doctrinas recepisse, Italico horto jam pulcherrimis floribus adornato, quum aliarum gentium solum horridum ne quidem araretur. Non, quamvis alieno sermone uteretur, acuti ingenii argutiis abstinebat : « O celebratto vittorie, e tutti i miei voti sono per la pace; un tal sentimento non dispiacerà a un savio, che fra tanti furori et disagi del mondo compatisce ai vinti, ed ancorà ai vincitori (2). »

Socium itineris, quod Roma Brixiam et Brixia Romam intendit, Voltairium, cui divini poetæ nomen tribuebat, sibi adjunxit, ut ait ipse, Cardinalis Quirinus. Integram, eundo et redeundo, poematis versionem perfecit, intactis tamen relictis centum et amplius versibus in quibus vertendis incassum Musam suam laboraturam intellexit (3).

Quam autem versionem recepit Voltairius quum jam, Marchionissam du Châtelet comitatus, rhedam conscenderet qua Fontebellaqueo Lutetiam vehendi forent. Opere statim lecto, nam Marchionissa « ad Virgilium et Quirinum, haud secus ac Newtonium intelligendos » prompta erat, exclamavit Voltairius :

Sic veneranda suis plaudebat Roma Quirinis
Laus antiqua redit, Romaque surgit adhuc,
Non jam morte ferox, dirisque superba triumphis,
Plus mulcere orbem quam domuisse fuit (4).

Addebat se cyprium æs dedisse, aurum autem recepisse.

Tantis laudibus incitatus, Cardinalis Poli vitam, a se conscriptam, Quirinus Voltairio obtulit, quapropter singulares gratias accepit, epistola italica expressas, quam Felix Tribolatus, qui *de italico Voltairii stylo* eleganter et erudite disseruit, bellissimam declarat (5); pariter

(1) Comment., Contin. t. II, p. 119. — Cf. Felice Tribolati, Sull' Epistolario italiano de Voltaire. Pisa, Nistri, 1878, in 8°.

(2) Voltaire au cardinal Quirini, 17 août 1145. Corresp. g^le^, t. II, p. 251.

(3) Coleti, p. 275 et 283. Epistol. 38 Patribus Soc. Jesu Ephemeridum Trevoltianarum Scriptoribus, 25 Novemb. 1745.

(4) Voltaire au cardinal Quirini, 25 octobre 1745. Corresp. g^le^, t. II, p. 262.

(5) « Dica ella digrazia, qual' arte, qual incanto pone ella in uso per condire cotanti vezzi tanta e cosi varia dottrina, e per adornarla di questa finitura di composizione, in cui

laudibus effert quam Voltairius Cardinali scripsit de Bibliotheca Quiriniana Brixianæ genti data (1). Quum autem Voltairius, regius historiæ gallicæ scriptor, tunc componeret opus quod imperfectum reliquit de bello, anno 1741, Austriæ indicto, « ceteris quæ scripserat ut nimium profanis remotis » hoc saltem eidem Bibliothecæ se dono daturum pollicitus est : « Tocca al mio Ré, aiebat, di far tremare l'Europa, ai grandi personnaggi di vostro carattere di pacificarla, à me di scrivere con verità e modestia quel ch'é passato (2). »

In duabus aliis epistolis gloriatur quod ipse et Quirinus, *discipulus et magister,* eodem tempore in Academiam *della Crusca* cooptati fuerint (3). Laudes laudibus cumulat, quum Quirinum Mæcenatem suum appellat, quum eumdem Poemati de Fontanejo immortalitatem peperisse, et versione italica Poematis de Henrico Magno (4) pulchrius præmium scriptori, quam triumphali pompa Romani Torquato Tasso, tribuisse profitetur (5).

Interdum tamen graviorem sermonem cum illo confert, sive Cardinalis nomine Dissertationem de Tragœdia inscribat (6), sive de Comœdorum excommunicatione disputet (7).

Nec decorum, nec justum esse declarat, eos qui coram rege totaque aula tragœdias et comœdias, summa honestate conscriptas, agunt, eadem nota deformari qua prisci actores Imperii Romani delabentis aut Medii Ævi tempore, illiberales et turpes mimos coram plebe vilissima agentes.

Ut hoc caput tandem concludamus, narratiunculam istam referemus qua perfectissime quales fuerint veri sensus Voltairii erga Quirinum et Quirini erga Voltairium judicabitur. Quirinus, ut antea dictum est, pecuniam et signa ad Berolinense templum catholicum contulerat. Quum autem Voltairius Cardinalem Comitis de Rotemburgio qui Berolini huic operi præerat mortem edocuisset, multa in suis epistolis de sublimi consilio inter heterodoxos catholicum templum exstruendi, multa de Quirini munificentia, inflata oratione jactaverat; illum ad beneficia in Ecclesiam et universum orbem largiendum unice intendentem; marchionatus et ducatus Virginibus claustrali vitæ sacratis dono dantem; quin imo, omnes homines præceptis et exemplis docentem depingebat (8).

non appare l'arte, ma sopra tutto la facilità dello stile, e la vera e soda eloquenza. » Questo addit Tribolatus, è vero stile italiano, ed è il signor di Voltaire che tornisee questo complimento da gentiluomo erudito, indirizzandolo a principe di Santa Chiesa eruditissimo : « Credo bene io, etc., etc., » 7 novembre 1745. Corresp. g^{le}, p. 262.

(1) Pur bellissima è l'altra in rendimento di grazia por una sua pastorale, etc. Voltaire à Quirini, 3 février 1746. Corresp. g^{le}, t. II, p. 270.

(2) Voltaire à Quirini, 3 février 1746.

(3) Voltaire au Card. Quirini, 8 mai et 1er juin 1746, Cf. 12 avril 1746.

(4) Hujusce Poematis partes aliquæ tantum a Quirino in italicum et latinum sermones translatæ fuerunt.

(5) « Non fù mai il grand Tasso cosi rinumerato; ed il trionfo che gli preparato, etc., etc. » 8 Maggio 1746.

(6) Œuvres de Voltaire, t. IV, p. 3.

(7) 1 Giugno 1746.

(8) Voltaire à Quirini, 4 juillet 1752; corresp. gén^{le}, t. II, p. 579.

Interea satirici versus, quos de eisdem scripserat, a Formejo aut a quovis alio, prælo tradebantur (1). Rem haud ægre tulisse Voltairius videtur, si jucundissimæ cuidam ejus epistolæ credendum est, versusque ab ipso Quirino prælo traditos fuisse contendit, quippe qui Brixiano prælo traderet quæque scribebat, quæque ei scribebantur (2).

Mirum est id quod Voltairius per ridiculum et jocum dixerat revera accidisse; in Commentariorum continuatione ea ipsa verba leguntur : « Ad annum 1752 pertinent quæ *Card. Quirinus edi Brixiæ curavit* ut Voltairii poetæ Galli celeberrimi qui apud nonnullos haud bene audiebat famam vindicaret. Scripserat ille ad Cardinalem nostrum sub initium hujus anni odam gallicis versibus pro ingenii sui indole *leporibus et venustatibus redundantem;* hanc, *quum legendam amicis obtulisset,* aliis *meram irrisionem sapere*, *aliis etiam impietate* laborare visa est. At Cardinalis Quirinus, *qui in externo verborum cortice minime hærebat*, sed de Voltairii animo ex privatis illius epistolis, quas non paucas acceperat, judicabat, aliorum judicio assentiri non poterat. *Itaque Brixianis typis imprimi voluit una cum gallica ode quæ tot turbas excitaverat,* tres Voltairii epistolas et quartæ particulam *quæ de recta et sincera illius fide et de ejusdem sensibus catholico homine dignis* certum testimonium omnibus facerent. Elegiam ipsam a Brixiano Philopatri inscriptam publici juris fecit (3). »

Re oblectatus est et ipse Summus Pontifex : « Cardinalis Quirinus inquit, mendicando laudes rogat; quæ illi decebant, eas obtinuit! »

(1) Quoi! vous voulez donc que je chante
Ce temple orné par vos bienfaits,
Dont aujourd'hui Berlin se vante!
Je vous admire et je me tais.
Comment sur les bords de la Sprée,
Dans cette infidèle contrée,
Où de Rome on brave les lois,
Pourrai-je élever une voix
A des cardinaux consacrée?
Éloigné des murs de Sion,
Je gémis en bon catholique.
Hélas! mon prince est hérétique, etc.

Œuvres de Voltaire, t. IX, p. 280.

(2) Voltaire à Mme Denis, 9 juin 1752 : « Je suis fâché que cette plaisanterie innocente dont j'ai affublé le plus respectueusement et le plus poliment que j'ai pu Son Éminence le Cardinal Quirini soit si publique; mais il est homme à l'avoir fait imprimer lui-même. Il imprime régulièrement à Brescia tout ce qu'il écrit et tout ce qu'on lui écrit. »

(3) Comment. Contin., t. II, p. 119. Supra diximus sub hoc nomine latere P. Josephum Mari Soc. Jesu qui eam elegiam card. Quirini jussu elucubraverat.

CAPUT VI.

DE COMMERCIO QUIRINI CUM DOCTIS GERMANIÆ ET HELVETIÆ VIRIS.

Cardinalis Quirinus qui juvenis studiosas peregrinationes longa inter Gallos commoratione aggressus erat, quum jam senesceret ad Germanos se convertit, non solum quidem eruditionis amore, sed ut ex eis nonnullos, si fieri posset, ex evangelica fide ad catholicam adduceret. Qualia fuerint ejus itinera per Helvetiæ, Sueviæ et Bavariæ benedictina cœnobia jam antea narravimus; nec lectorum e memoria cecidit quanta humanitate eruditi heterodoxi prosecuti fuerint Romani Cardinalis suevicum iter. Eam testantur XXI epistolæ illustribus eruditorum nominibus firmatæ (1).

Ea tamen prætermittamus, quamvis nova eis quæ jam diximus addere possemus, et haud ingratam comparationem facere illorum itinerum cum Mabillonii per eadem loca peregrinatione (2). Nunc in hoc commercio e tot epistolis, sive eruditis, sive dogmaticis, inter Quirinum et doctos Germaniæ viros exorto, insistere nobis in animo est.

I.

Consentaneum esse cum rebus videbitur hoc caput e familia benedictina initium ducere. Namque Cardinalis sodales suos Germanos in partem suarum controversiarum sæpe vocavit sociosque sibi adjunxit. Quibus conatibus eos impulit ut Italorum causæ faverent in illa veteri contentione inter Italos et Gallos monachos de loco ubi S. Benedicti corpus nunc quiescat! Itali Casini in celeberrimo illo Monasterio servari ac coli sustinent; Galli e contrario in Gallias, Floriacum, translatum fuisse certant. Adversus Mabillonium qui nationis nostræ causam, invictis argumentis tuitus erat, cum in Actis S. S. Ordinis S. Benedicti (3), tum in Annalibus Benedictinis, pugnavit Episcopus Brixiensis, et amplissimas de re diatribas ad Abbatem Weissofontanum, Congregationis Benedictino-Bavaricæ Præsidem generalem, exaravit (4).

Bernardum de Franchenberg, Desertinensis Monasterii Abbatem (5),

(1) Cf. supra : pars I, cap. v, et Coleti, p. 466 sq.

(2) De Broglie, op. cit., t. I, cap. v.

(3) T. I, p. 16.

(4) Coleti, p. 628 et 641; Epist. XC et XCIII, Rev. Pat. D. Bedæ Abbati Weissofontano et Congregationis, etc. Sept. 1789 et 4 Febr. 1754.

(5) Deserta Bojorum, Disentis.

participem et testem suorum operum de festis non imminuendis effecit; præsertim, in epistolis quas ad eum misit, Lamindum Pritanium, id est Ludovicum Muratorium libelli *Della regolata divozion de' Cristiani* auctorem, multis argumentis confutare conatus est (1).

Multa cum eodem disserit de Epistolarum centuria prima per Fueslinum vulgata qua epistolæ vel ab Ecclesiæ Helveticæ Reformatoribus ad alios, vel ab aliis ad ipsos scriptæ continentur (2); alias de quodam Henrici III diplomate, aut de litterariis quibusdam laboribus a Benedictinis Monachis suscipiendis (3). Et quod quidem attinet ad Diploma, existimabat Abbas Desertinensis ex eo probari Abbatiam illam olim ab Henrico I Brixianis episcopis fuisse subjectam; Card. vero Quirinus eam Ecclesiæ suæ prærogativam non admittebat, quod nulla ea de re Brixiæ documenta exstare compererat.

Quod vero attinet ad litterarios labores, duo erant quæ ut PP. Benedictorum cura atque opera prodirent, maximopere desiderabat; et primo quidem, quum Monasteriorum per quæ transierat Bibliothecas optime ordinatas atque instructas observasset, optabat vehementer ut collectio aliqua veterum Monumentorum quæ in iisdem asservabantur publica luce donaretur. Quod vero alterum in votis habebat, illud erat ut ex Italico in Germanicum idioma Reverend. P. Ursii Ecclesiastica verteretur, ad maximum Religionis catholicæ commodum.

Benedictinis qui in Salisburgensi Academia Professorum partes obtinebant quartam latinarum epistolarum suarum Decadem nuncupavit, quod epistolas contineret quæ et argumentorum varietate placere possent et nihil offerrent quod eorum studiorum quibus iidem Professores vacabant severitatem ulla ex parte læderet (4). De suis itineribus et laboribus Germaniæ Benedictinos Abbates certiores facere consueverat, singulisque eorum Cœnobiis aliqua e suis operibus dono dedit.

II.

Cum professoribus Universitatum, præsertim Gœttingensis, Lipsiensis et Tigurensis, multa sed urbana, de eruditis et dogmaticis argumentis, certamina inivit.

Gœttingæ litterarum commercio cum Feverlino et Gessnero, in primis, junctus est.

Jam Feverlinus gratissimo animo exceperat priores quatuor latinarum epistolarum decades et eam quæ italicas complectebatur, quum, litteris XX Decembris 1747, illum rogavit ut nonnulla alia opera, ab ipso confecta, emenda indicaret. Eadem se donaturum Quirinus pol-

(1) Lettera a Monsign. Bernardo di Franchenberg, abbate del Monastero di Disentis, e Principe del S. R. I. 12 Luglio 1747.
(2) Quirinus eidem, VII Kal. Jun 1747. Coleti, p. 315.
(3) Quirinus eidem, XII Kal. Nov. 1747.
(4) Comment. Continuatio, t. I, p. 260; Coleti, p. 372, Admodum Reverendis doctissimisque Benedictinæ Familiæ, etc., Professoribus XVII Aug. 1747.

licitus est. Debere enim se Feverlino plurimum fatebatur, ea etiam de causa quod novam suorum operum editionem *in usus* (ut ille aiebat) *Orbis Litterati Septentrionalis* curare in Germania, ipso Cardinali annuente, in animum induxerat.

Gratias quoque agebat singulares quod Joannes Matthias Gesnerus, Gœttingensis eloquentiæ professor, ipsum tanquam Italiæ universæ litteratæ principem prædicaverat in eo Programmate quod ad Georgiæ Academiæ Decennalia celebranda vulgaverat, ubi de Herculano recens e cineribus et Vesuvii montis pumicibus eruto disserebat. Nam cum nulla ipsi cum Gesnero necessitudo adhuc intercederet, existimabat tam secundam de se opinionem illum aliunde haurire non potuisse quam ex colloquiis cum Feverlino, Crusio, Kœlero de se habitis (1).

Ab hoc tempore cum Feverlino Episcopus Brixiensis de rebus ad fidem Christianam et Catholicam pertinentibus disceptavit; exempli gratia hanc memorabimus controversiam *de Fide et Bonis operibus* quam in prima parte nostri libelli fusius tractavimus (2); aut illam de *Variis linguis quibus Apostoli usi sunt*, ex optima Feverlini dissertatione ortam; postremam denique *de prima Editione partis Novi Testamenti Græci per Aldum Manutium inter Carmina Gregorii Nazianzeni Venetiis an. MDIV curata.* Multa de hac Feverlinus Card. Quirinum interrogaverat. Respondit igitur se præ manibus habere eam ipsam Aldi editionem an. MDIV quam in Canonicorum Regularium Lateranensium Bibliotheca Brixiæ repererat, eamdemque illi quam Feverlinus ex hæreditate paterna acceperat simillimam esse testatus est. Plura in ea epistola, die XI Decembris an. 1747 data, ad typographicam artem spectantia Quirinus congessit quæ quantum in hac eruditionis parte excelleret manifeste ostendunt (3).

Joannes Mathias Gesnerus (4) jam ad famam pervenerat quum ad illius consuetudinem adductus est Cardinalis noster. Condiderat enim præclarum illud *Seminarium philologicum*, quod tot aliis exemplo fuit; vulgaverat editiones *Panegyrici et Epistolarum Plinii Secundi* (5), *Scriptorum Rei rusticæ* (6), *Quintiliani* (7), denique eo ipso anno 1747, *Thesauri Latini* Roberti Stephani, maximi operis et ad Gesneri nomen immortalitati tradendum sufficientis. Quanti eum faceret, epistolis suis luculenter ostendit Quirinus. Quum ejus opera Vratislaviæ annis 1733 et 1735, impressa hac inscriptione *Minora opuscula* (8) frequenter præ manibus haberet, ea non minora sed maxima dicenda esse contendit, et propter eximiam scriptoris eloquentiam veterum Romanorum exempla æmulantem et propter Græcæ ac Latinæ linguæ peritiam

(1) Quirinus Jacobo Willelmo Feverlino, publico Gœttingensi Professori XX Feb. 1748. Coleti, p. 434.
(2) Cf. supra, pars I, cap. V, p. 38.
(3) Quirinus Jac. Feverlino, etc. XI Dec. 1747. Coleti, p. 513
(4) Onoldi natus 1691, vita defunctus Gœttingæ, 1761.
(5) Gœttingæ, 1735-39.
(6) Lipsiæ, 1735, 2 vol. in-4°.
(7) Gœttingæ, 1738.
(8) Vratislaviæ, 8 vol. in-8°.

non vulgarem, et propter singulare antiquitatis studium amplissimamque rei litterariæ cognitionem. Ut autem ipse etiam Cardinalis aliqua ratione Georgiæ Academiæ, cujus professores erga se adeo propensos experiebatur, Decennalibus celebrandis suam conferret symbolam, publicæ Gœttingensi Bibliothecæ dono mittere constituit quotquot ad eum usque diem opera in lucem emiserat (1).

Invitavit Quirinus Gœttingæ professores ut vicissim conferre aliquid velint Episcopatus sui Vicennalibus celebrandis, quæ pariter in superioris anni mensem Septembrem inciderant quo Gessnerus Programmate suo Georgiæ Academiæ Decennalia indixerat. Et ita factum est (2).

III.

Lipsiæ, Menckenium et Kieslingium, sed super omnes Kæstnerum sibi amicos peperit Brixiensis episcopus.

Abrahamus-Gotthelfus Kaestnerus (3), qui postea Universitatis Gœttingensis decus fuit, tunc in Lipsiensi publici Matheseos professoris partes agebat; nec minus litterarum et philosophiæ peritum, argutiis etiam et jocis quam maxime indulgentem se præbebat. Nullum tamen antea magni pretii librum composuerat quum Cardinali Quirino dissertationes duas misit. In earum altera, Quirino ipsi nuncupata, eruditus scriptor « primam quæ post inventam typographiam prodiit Euclidis editionem (4) », id est editionem Venetiis an. 1482 ab Erhardo Rodolto Augustano curatam, studiose describebat. Illius lectione maximam cepit Cardinalis voluptatem, quod argumentum ad typographicam eruditionem pertinens tractaret. Similem Euclidis elementorum, qua Paulina Lipsiensis Academia gloriabatur, Brixiæ etiam invenit, in Bibliotheca Patrum Societatis Jesu (5). Altera Kaestneri dissertatio tractabat argumentum a Berolinensi Academia propositum et præcipuam præ aliorum laboribus laudem promeruerat. Argumentum porro fuerat divinæ Providentiæ demonstratio in iis eventibus, quos vulgus ignarum perperam fortunæ tribuit (6). In eo autem tam docte atque acute versatus Kaestnerus fuit, tamque se Cardinali Quirino probavit, ut partem dissertationis illius aliquot latinis hexametris expresserit, atque ad auctorem miserit (7). « Materiæ sanctitas fecerat ut dissertationem illam in manus sumeret antelucanis Sacrorum Epiphaniorum

(1) Coleti, p. 434. Epist. LI J. W. Feverlino 20 Feb. 1748. Comment. Contin., I, 301.

(2) Coleti, *ibid.* et Vicennalia Brixiensia card. Quirini celebrata in Acad. Gœttingensi. Gœttingæ, 1748, in-4°.

(3) Lipsiæ natus an. 1719, Gœttingæ vita defunctus, 1800.

(4) Lipsiæ, 1750, in-4°.

(5) Coleti, p. 573; epist. LXXVII, Abrah. Gott. Kaestnero, etc. XXIX Jan. 1752.

(6) Hanc dissertationem gallice scripserat Kaestnerus : Dissertation sur les devoirs qui résultent de la conviction que les événements fortuits dépendent de la volonté de Dieu, Berlin, 1751, in-4°.

(7) Coleti, p. 573, epist. cit. XXIX Jan. 1752.

horis; dumque legeret ac meditaretur interiori quodam instinctu impelli se sensit ad eos versus fundendos quos munusculi veluti cujusdam loco Regi Regum una cum Magis offerret (1). »

Tertiam dissertationem, *de habitu Matheseos et Physicæ ad religionem* (2), hanc quoque Cardinali Quirino nuncupatam, ad eum misit. Judicem agit Quirinus, a Kaestnero appellatus ut suam ferret sententiam : An Mathesis a noxa Religioni inferenda plurimum absit? Kaestnerus ostenderat Mathesin in abstractis veritatibus persequendis quales mera evidentia et naturalis certitudo proponit, unice versari, nec revelatas veritates attingere, quorum certitudo ab alio fonte quam a naturali ratione profluit; in eam sententiam ivit Episcopus et palmam Lipsiensi Professori adjudicavit (3).

Fridericus-Otto Menckenius, quem immatura mors paulo post abreptura erat (4), jam, contra, omnia opera sua ediderat quum inter eum et Cardinalem Quirinum usus intercessit. Cujus non agitur plerumque de scriptis in epistolis quas ad eum Quirinus misit sed de Contareno, de Polo et quibusdam aliis (5). Obtulerat Quirino Menckenius amplissimam Dissertationum 4.000 de variis argumentis collectionem, quas quidam ejus amicus annorum 20 spatio conquisiverat et nunc venum exponebat : « Nulla, scribebat Menckenius, vulgaris argumenti, nulla indigna tuis oculis, nulla indocte scripta est, omnes ad illud litterarum genus, cui te vel maxime favere scio, pertinent, quarum denique nemo possessione non gaudeat. » At ne oblatam mercem statim nulloque discrimine Cardinalis acceptaret, obstitit non exigua dissertationum similium copia quas a Schelhornio, æquo harum rerum æstimatore, ter aut quater singulis prope annis, acceperat; quocirca non temere verebatur ne plures earum jam possideret, quæ in collectione a Menckenio laudata continebantur. Itaque de earum emptione sibi cum illo privatis litteris agendum reservavit (6).

Nunc veniamus ad eam controversiam quæ Brixiano Episcopo cum Kieslingio interfuit; hanc sortita erat originem. Libellum suum inscriptum : « Imago Optimi Sapientissimique Pontificis expressa in gestis Pauli III, etc. » per Germaniam dispergi Quirinus curaverat, ut eo pacto Protestantes intelligerent quanta injuria ab Ecclesia catholica secessissent eo tempore quo a tanto Pontifice gubernabatur, qui undequaque sapientissimos ac sanctissimos viros evocaverat ut suarum curarum in consortium admitteret, eosdemque ad primas Ecclesiæ dignitates evexerat. Schelhornium, de quo inferius agetur, Quirinus invitaverat in primis, ut si quid haberet quod reponere contra posset, in medium expromeret; at, eo aleam detrectante, Joan. Rodolphus Kies-

(1) Comment. Contin., t. II, p. 95.

(2) Lipsiæ, 1752, in-4°.

(3) Coleti, p. 603; Epist. LXXXV; 30 Apr. 1753.

(4) Frid. Ott. Menckenius, Consiliarius Aulicus Regis Poloniæ, Publicus Historiæ Lipsiæ professor, Lipsiæ natus 1708, ibid. defunctus, an. 1754.

(5) Ex. gr. Coleti, p. 562; Ep. LVXIV, Frid. Ot. Menckenio, Idibus Julii 1750.

(6) Coleti, p. 557; epist. LXXII, Frid. Ot. Menckenio, 3 Decemb. 1749.

lingius, linguæ sanctæ in Lipsiensi Lycæo Professor, se ad pugnam obtulerat.

Ut erat autem ingenio fervido et eruditione multiplici longam epistolam Quirino misit, in qua multa disputabat et extra arenam nonnunquam divagabatur. Cardinalis tamen illum monuerat quos intra fines continere sese in ea lucubratione deberet. Ad eum confutandum, *catholico æquoque lectori* epistolam exaravit Quirinus, quæ sexaginta paginis continetur (1).

Contendebat quoque Kieslingius Ecclesiæ Romanæ principes, Lutheri ætate, Sacrarum Litterarum omnino imperitos fuisse; quod dictum ægerrime tulit Brixiensis Episcopus; unde nova controversia orta est (2). Aliquanto post, anno 1750, in epistola prælo vulgata (3), idem Kieslingius Cardinalem Contarenum *indefessum Scripturæ sacræ indagatorem* appellavit; sed de Quirini gaudio aliquid detraxit postrema Epistolæ clausula, inficeta quidem : « Vale et Jubilæum feliciter transige; protestantes tanti pænitere non ement. » Illum tamen invitavit Cardinalis ad legendum suum « de injusta secessione » libellum (4).

Fere de eisdem argumentis disceptabat cum clarissimo viro Joanne Schelhornio, Memmingensi bibliothecario, cujus *Amænitates litterarias et ecclesiasticas* quam maxime mirabatur (5). Ille, propter infinitam eruditionem, non erat qui imbellibus telis superaretur; attamen haud dubitavit Quirinus cum eo depugnare.

Schelhornius Tiguri imprimi jusserat epistolam qua evincere contendebat *Consilium de emendanda Ecclesia* jussu Pauli III a gravissimis viris scripto consignatum, atque Antonii Bladi typis excussum, a Paulo IV, « qui vitia potius tegi quam emendari nitebatur », fuisse in proscriptorum librorum Indicem relatum (6). Quum hæc scriberet, Schelhornius ejus quam cum Cardinale habebat controversiæ rationem mutabat. Agebatur enim de Pauli III et Reginaldi Poli integritate ac virtutibus; ille autem, hoc argumento relicto, dilapsus erat ad carpendum Paulum IV, quod Novemvirale Consilium de emendanda Ecclesia in librorum proscriptorum Indicem rejecisset. Hanc ipsam calumniam in illum Pontificem Quirinus confutavit (7). Cum Schelhornio ceteroquin amicissime egit; Schelhornius quoque Ottoburæ adfuit eo ipso die quo illuc Cardinalis advenit (8), ut eum inviseret; denique, post illius mor

(1) Coleti, p. 310, epist. XLIX, Rudolpho Kieslingio, etc.; et p. 321. epist. XLVI, Catholico æquoque lectori, 22 Julii 1747.

(2) Cf. Coleti, p. 557; epist. LXXII, Frid. Ot. Menckenio, 3 Dec. 1749.

(3) De Contareno purioris Doctrinæ de Justificatione in Conventu Ratisbonensi teste et confessore.

(4) Comment. Cont., II, 48; Cf. Coleti, p. 321, 322, 475, 610.

(5) Amænitates litterariæ, quibus variæ observationis, scripta, item quædam anecdota exhibentur; Francofurti et Lipsiæ, 1724-1731, 14 t. in 8°; — Amænitates ecclesiasticæ et litterariæ historiæ, ibid. 1737., 4 t. in 8°. — Joannes-Georgius Schelhornius, Memmingæ natus, an. 1694, vita defunctus 1773.

(6) De consilio de emendanda Ecclesia Pauli III, P. R. a quatuor cardinalibus et quorumque aliis præsulibus conscripto ac a Paulo IV damnato. Tiguri, 1747, in 4°.

(7) Coleti, p. 382, Epist. XLVIII catholico æquoque lectori, 9 Dec. 1747; ibid. Schelhornii epistola ad Quirinum cum Quirini animadversionibus.

(8) Cf. Pars I, cap. V, p. 37.

tem, novam editionem operis a Quirino conscripti dedit : *De optimorum scriptorum editionibus quæ Romæ primum prodierunt* (1).

IV.

Quum Quirinus Tigurum venerat, apud Heidegerum Typographum ac Bibliopolam non ineruditum hospitatus, viros aliquot litteratos alloqui potuerat (2), atque inter eos potissimum Jacobum Breitingerum, linguæ sanctæ et græcæ apud Tigurinos professorem, nec minus arti criticæ et ipsi philosophiæ addictum (3); cum eo deinde, cum Heidegero et cum Hagenbucchio, ibidem publico professore, epistolarum commercium fovit. Testabatur enim sibi nihil posse gratius accidere quam ut honesti ac litterati homines secum perinde agerent ac si privatus quidam homo esset, nullaque alia dignitate quam accenso in litteras studio conspicuus (4).

Anno 1730, Breitingerus *Bibliorum* editionem vulgaverat (5); hoc autem tempore (1748) illustrabat antiquissimum Mss. Codicem græcum argenteis characteribus exaratum et Tiguri asservatum quo *Psalmi* continebantur. Quirinus operam suam illi obtulit, et pollicitus est se studiosius quam antea evoluturum tum celebratissimum Vaticanum Codicem LXX Interpretum versionem complectentem, cujus ad illum specimen jam aliquod miserat, tunc etiam Chisianum Codicem de quo ad Mazochium scripserat (6), ut lectiones quæ Breitingero operi suo perficiendo necessariæ forent, eliceret. Cum illo quoque de binis Psalmorum Codicibus Monasterii S. Galli et de Brixiana *Sacrorum Bibliorum*, idiomate hebraïco, editione, multa disseruit.

Haud minus quam antea illa quæ ad litteras, vel profanas, spectabant Quirini animum movebant. Qua voluptate perfusus, Breitingerum de antiquis Teutonica lingua conscriptis cantionibus, quas producere cogitabat, loquentem audiebat!

De his carminibus hæc ad Card. nostrum Breitingerus scripserat, unde de eorum pretio fieri conjectura potest (7) : « Sunt magna ex parte Carmina anacreontica et amatoria de vere et æstate, de mulieribus, de vino, etc., quibus vere tenerrimus animi affectus mille modis ad vivum exprimitur, ut non possis non mirari ejus ætatis homines quos nobis ut feroces et ab humanitate alienos plerumque fingimus,

(1) Lindaugiæ, 1761. — Sex epistolæ Schelhornii ad Quirinum, Coleti, pp. 467-476; Quirini ad Schelhornium, ibid, pp. 646 et 662.

(2) Comment. Contin., t. I, p. 269.

(3) Breitingerus, canonicus et professor Tigurensis, Tiguri natus 1701 et defunctus an. 1776, eruditione, pietate et modestia præclarus.

(4) Coleti, p. 404, Quirinus Breitingero, 25 Jan. 1748.

(5) Tiguri, 4 vol. in 4°.

(6) Cf. Coleti, p. 83.

(7) De antiquissimo Turicensis Bibliothecæ græco Psalmorum libro, epistola J. J. Breitingeri ad Card. Quirinum. Tiguri, 1748; in 4°. — Coleti, p. 404, Ep. XLIX Breitingero, 25 Jan. 1748. — Ep. LXIII Feverlino, 11 Dec. 1748. — Comment. Contin., I, 306.

tam delicatis sensationibus et exquisitissimis voluptatis illecebris affici et tantopere capi potuisse. Quin etiam in numeris et carminum generibus tantam varietatem observare licet, ad quam hujus ætatis ars metrica sterilis et inculta videri possit! »

Cardinalem delectabant et geographica et epigraphica Hagenbuchii studia (1); illi igitur scripsit Hagenbuchius epistolam multiplici eruditione redundantem, in qua mentionem primum injecit de *Ostionibus* et *Ostidamniis*, quos ipse prius in Galliæ Celticæ *Osismiis* quæsiverat; alia inscriptionis Nonii quædam sigla explicabat (2); alia denique suam sententiam dicebat de duobus insignibus Diptychis Brixiæ asservatis altero amatorio, quod Card. Quirinus sibi comparaverat, altero consulari ad Boetium pertinente, quod nobilis et pervetusta Barbisonia familia jamdiu possidebat.

De primo multi multa, eaque perquam varia, commentati erant. Ab hoc Quiriniano Diptycho, ubi nullæ, apparent litteræ, interpretando se Hagenbucchius excusavit, quod sibi jam pridem propositum fuisset ab iis monumentis ubi litteræ desunt explicandis abstinere; deficientibus enim litteris veri quærendi inveniendique via non patet, ut propterea qui sibi hanc provinciam suscipiunt, non raro ne veri quidem similia proferant. At contra Boetianum litteratum Diptychon amplissima eruditionis effusione illustravit, tum in suis epigraphicis epistolis (epistola XX), tum in ea quam deinde ad Baulerum misit. Ea res Cardinalem nostrum movit ut quam ipse animo conceperat ejusdem Diptychi commentandi cogitationem deponeret et quam in eum finem suppellectilem collegerat Hagenbucchio offerret; quo factum est ut, anno sequenti, id est 1749, egregium ac vere elimatum opus Tiguri Heideggeri et Sociorum typis Hagenbucchius commiserit hac inscriptione : *De Diptycho Brixiano Boetii Consulis epigraphica auspiciis, jussu et sumptibus Principis Eminentissimi Ang. Mar. Tit. S. Marci. Card. Quirini Summi Bibliothecæ Vaticanæ Præfecti, Episcopi Brixiani, etc., etc., edita a Joanne Gasparo Hagenbucchio Professore Turicensi cum æneis tabulis* (3).

Inter hujus generis litterarias Quirini epistolas, ne obliviscamur eas quas ad Hermannum-Samuelem Reimarum (4), in Hamburgensi Lycæo publicum professorem, misit, de Codice Vaticano historiarum Dionis Cassii fragmenta complectente; de Carminio Falcone qui Codicem illum repræsentaverat atque interpretatus erat; de Ursino et Leunclavio Dionis editoribus; denique de ipsa Reimari editione. Nam hujus editionis tantæ utilitati fuit Cardinalis opera, ut eam Quirino æquissime nuncupaverit Reimarus (5).

(1) Hagenbucchius (Joannes-Gaspardus), Tiguri natus an. 1700 ibid. vita defunctus 1763; professor et canonicus, cum quibusvis doctis Europæ viris epistolarum commercium habuit.

(2) Coleti, p. 476.

(3) Tiguri, 1749, in-f°. — Coleti, p. 554, Ep. LXX ad Hieronymum Lagomarsinum S. J. 30 Aug. 1749.

(4) Hermannus-Samuel Reimarus, Hamburgi natus an. 1694, ibid. vita defunctus 1768, philologiæ et historiæ naturalis studiis præclarus.

(5) Dionis Cassii editio, Hamburgi 1750-52, 2 vol. in-f°. — Epistola Reimari ad Card. Quirinum, qua, occasione edendi Dionis Cassii, ad Nicolai Carminii Falconis editionem trium

V.

Cum Samuele Formeio, Regiæ Scientiarum ac Litterarum Academiæ Borussicæ Secretario Perpetuo (1), et cum Georgio-Gulielmo Kirchmaiero, Regio consiliario et in Wittembergensi Academia publico professore, ad eas controversias, quibus sæpe et libenter utebatur, rediit Quirinus.

Anno 1748, inter Berolinensis Academiæ socios fuerat adscitus, quem honoris gradum ut gratissimum sibi evenisse declararet, et aliquam librorum a se editorum partem Berolinensi Academiæ dono miserat, et aliquam pecuniæ summam Berolinensis Catholicorum Templi exstructioni promovendæ contulerat. Quoniam vero eo tempore Academiæ præses Maupertuisius valetudinis causa in Galliam remigrarat, Formeius qui absentis vices gerebat Card. Quirino rescripsit, gratias ut omnium nomine ageret. At vero, sub Epistolæ finem, injecto sermone de comparatione quam sæpius ille inculcabat, ut quantum Polus, Contarenus, Sadoletus, aliique ea ætate Luthero ceterisque sectariis præcellerent declararet, Formeius, comparationis illius vim elusurus, opposuit Lutherum in sacrarum linguarum peritia illos longe superasse, sicque sine dubio divinis eloquiis interpretandis aptiorem fuisse (2).

Quirino nihil antiquius erat quam ut probaret Polum aliosque Cardinales quorum potissimum opera in Ecclesia regenda Paulus III utebatur, sacrarum linguarum scientia non mediocriter fuisse imbutos. Inter proceres Romanæ Ecclesiæ in hac litteraturæ parte doctos, primo nominandi Quirino occurrerunt Matthæus Gibertus, Veronæ Episcopus, Gaspar Contarenus et Hieronymus Aleander, Cardinales ambo (3).

A Kirchmaiero interea Quirinus accepit historicam de Luthero disquisitionem, ubi sibi plaudebat quod cum Samuele Formeio tam belle convenisset, quamvis ejus ad Card. Quirinum responsionem non antea vidisset, sed tunc solum ejusdem compos factus fuisset, quum jam in disquisitione sua exaranda processisset : « Difficile dictu est, aiebat, quanto nos exsultemus gaudio, quod vir nobilissimus Lutheri vitæ morumque integritatem æque ac doctrinam unis iisdemque vindicare argumentis studet, quæ nos velut ex composito auctoritatibus infensissimorum ejus hostium, Sectæ nominatim Ignatianæ, in disquisitione hac nostra reddimus invecta. »

ultimorum Dionis librorum, ex antiquissimo codice restitutorum animadversiones nonnullas protulit; ibid. 1746, in-4°. — Coleti, pp. 283 et 291, Quirinus H. S. Reimaro Epist. XXXIX et XL, 23 Aug. et 14 Decemb. 1746; — p. 552, epist. LXX Hier. Lagomarsino, 30 Aug. 1749; — Coleti, pp. 473, 478 et 552, Reimari tres epistolæ ad Cardinalem Quirinum.

(1) Samuel Formeius e parentibus Gallis, Religionis causa exsulibus, Berolini natus an. 1711, ib. vita defunctus an. 1797, infinita eruditione et innumeris operibus præclarus Illius 18 epist. ad Quirinum missæ in Bibliotheca Quiriniana servantur.

(2) Comment. Contin., t. I, p. 351.

(3) Coleti, pp. 517 et 555, Quirinus Formeio, 30 Dec. 1748 et 28 sept. 1749.

Ut hoc gaudium excuteret laboravit Quirinus iis litteris quas ad eum, die 7 Junii 1751, scripsit (1). Kirchmaierum invitabat ut suam Formeio responsionem perlegeret; etiam malam fidem exprobrabat qua Cochlæi testimonium satis prolixum in laudem Teutonicæ Bibliorum versionis a Luthero adornatæ producebat; truncaverat enim quæ præcedunt, quæ interponuntur, quæ consequuntur, et ex quibus manifeste patet Cochlæi verba non Lutheri laudes sed vituperationem continere. Kirchmaierus mala se fide egisse pernegavit; sed scientem volentemque quæ omiserat se suppressisse affirmavit, quod ad propositum suum non facerent.

Tum Quirinus, indefessus athleta, cum eodem novam controversiam, de Erasmi in Lutherum opinione, aggressus est (2).

Talia autem certamina sine odio, sine invidia erant; in Wittembergensi Academia habebatur a Frederico Hofmanno *Programma de Quirino glorioso* (3); et alias Samuel Formeius adeo Commentariis ejusdem delectabatur ut statim gallicum in sermonem eos convertere statueret (4).

Nihil hominem, qui se blanditiis obvium præbebat, magis juvare poterat quam quod homines ab eo religione dissidentes et patria diversos, tantis officiis ipsius ingenium agnoscentes sentiret. Utrum vero vanis assentatorum verbis illusus fuerit, an revera talem inter doctissimos Europæ viros numerum obtinuerit, ut eas laudes mereretur, in hac quæstione ultima pars operis nostri versabitur.

(1) Coleti, p. 570. Epist. LXXVI.
(2) Comment. Contin., II, 138; — Coleti, p. 606, Epist. LXXXVI G. G. Kirchmaiero, 5 maii 1753.
(3) Wittembergæ, 1753, in 4°.
(4) Hoc apposito titulo : Anecdotes littéraires de la vie, etc. Illud opus non perfectum fuit.

PARS TERTIA.

DE PRÆCIPUIS QUIRINI OPERIBUS.

Nobis quot et qualia Cardinalis Quirinus scripserit auquirentibus, magna quidem difficultas obversatur, siquidem varietate studiorum atque operum magis quam excellentia facultatis cujusdam aut unius libri apud æquales eminuit, conscripsitque amplius octoginta opera aut opuscula quorum ut nullum aliqua parte non valet, sic pauca nostris hominibus assumenda videntur.

Quorum si uni atque alteri tantum incumberemus, quale fuerit Quirini ingenium, quove auctoritatis genere in litterarum provincia valuerit male ostenderemus; sin universis, minutus labor ac dissolutus nonnunquam fastidium aut confusionem apud legentis mentem afferret.

Mediam ergo secuti viam, omissis quibusdam levioris momenti opusculis quæ satis erit si in fronte operis nostri indicaverimus, pergemus ad cetera quæ in tres partes dividemus, prout ad res ecclesiasticas, aut ad res litterarias, aut ad Quirinum ipsum privatim pertinebunt, et prout plus minusve studii captabunt, in majorem aut umbram aut lucem deducemus.

CAPUT I.

DE QUIRINI OPERIBUS AD RELIGIONEM, SIVE AD SACRAS LITTERAS, SIVE AD SANCTOS RITUS, SIVE DEMUM AD ECCLESIASTICAM HISTORIAM PERTINENTIBUS.

Inter præcipua Quirini opera ad Religionem spectantia, ea vicissim perpendemus quæ ad Sacras Litteras, ad Sanctos Ritus, denique ad Ecclesiasticam Historiam pertinent.

I.

ORATIO DE MOSAICÆ HISTORIÆ PRÆSTANTIA ET PRÆLECTIONES IN VETUS TESTAMENTUM.

Juventutis tempore tantum, dum in Benedictinis Florentiæ vel Cæsenæ cœnobiis *Biblia* interpretandi munus gereret, Sacris Litteris incubuit Quirinus. Ejus diligentiam testantur duo opera, unum Cæsenæ,

anno 1705, editum, alterum etiamnunc ineditum; aut, ut verius dicam, testatur unum opus cujus prælocutio, — *Oratio de Mosaïcæ historiæ præstantia*, — in lucem prodiit, altera autem et multo extensior pars, *Prælectiones in vetus Testamentum*, — manuscripta in Quiriniana Bibliotheca, Brixiæ, servatur (1).

Ait enim Quirinus (Commentariorum I^a parte) : « Finem eo tempore (1705) jam imposueram tradendæ theologiæ sacrisque canonibus interpretandis, *manebatque me cura conscribendarum in Sac. Scripturam Prælectionum.... Itaque Prælectiones easdem adornare jam cœperam* quum me Nincii Præsidis invitatio Cæsenam accivit. Eo delatus statim intellexi, etc... et una simul animum adjungerem *ad meas illas Prælectiones seu componendas seu expoliendas.* Atque ita revera accidit.... Quodnam id fuerit (Hebraicæ eruditionis studium), cuivis hodie quoque patebit, si oculos figat in Biblicum exemplar ea lingua exaratum, ad cujus oras calamo meo hic illicque eo tempore adnotabam quæ ejusdem linguæ radicibus memoriæ meæ firmius infigendis deservirent. Præterea in tabulis quibusdam, *quæ adhuc exstant*, manu pariter mea repræsentare exacte suscepi annos Patriarcharum Ante-Diluvianorum et Post-Diluvianorum comparatis inter se calculis ex Hebraico, ex Samaritano et ex Græco codice depromptis. Novi mei istius studii genus Nincius admodum probavit... Quare ipsemet Cæsenatensibus typis evulgari, me prorsus inscio, præcepit *Prælectionum mearum prolusionem, cui titulus : Oratio de mosaicæ historiæ præstantia* (2). » Hanc ipsam orationem, anno 1741, Veronæ recudendam curavit Dominicus Pius Rosinus Presbyter Brixiensis, eamque inscripsit studiosis adolescentibus seminarii ejus urbis (3).

Potius ad bonum exemplum quam ad scientiæ pervestigationem instituta videbatur, ut e dictis P. Bachini (4), et ex eo ipsius Orationis loco patet : « Quum tamen Mosaicorum Annalium lectionem perutilem dico, non ita intelligi velim, si quis id unum spectet, ut totus in chronologicis tricis atque impedimentis moretur. Non capiunt angustiæ pectoris hujus sanctissimæ historiæ dignitatem, sed hac in re, ut aliis etiam plerisque, imitari oportet Octavianum Cæsarem qui, referente Suetonio, in evolvendis utriusque linguæ Scriptoribus nihil æque spectabat, quam exempla publice, vel privatim salubria, eaque ad verbum excerpta aut ad domesticos, aut ad exercituum, provinciarumque rectores, aut ad urbis magistratus plerumque mitteret, prout quisque monitione indigeret. Ad illa mihi quæ superius commemorabam

(1) Biblioteca civica Queriniana, 1 vol. 163 f. a. IV, 26.

(2) De Mosaicæ historiæ præstantia Oratio, habita Florentiæ in Abbatia Monachorum Casinensium, pro auspicandis ibidem ad Hebraicæ veritatis fontes sacrarum Litterarum studiis. Cæsenæ, 1705, in-4°.

(3) Coleti, p. 16; Epist. VI, Card. Corsino die 28 sept. 1741 : « Sinas, precor ipsi addi orationem quamdam meam quam Veronenses typi hisce diebus iterum excuderunt, etc. »

(4) Memorat Quirinus in Commentariis (t. I, p. 30) P. Bachinum, de ea oratione sensum suum libere aperientem, fassum esse ejusdem conclusionem sibi aliquanto displicuisse quod in ea visus fuerit exactas temporum investigationes despicere, nam easdem chronologicas tricas appellaverat.

acriter pro se quisque intendat animum, nimirum ad pulcherrimam Deitatis imaginem, quam Moyses non humano sed divino expressit penicillo, quæ velut oculis conspecta mirabiles sui amores excitabit; ad sanctissimam Legum integritatem, unde omnis humanæ vitæ ratio moresque conformandi; ad Prophetias in Christo et Ecclesia impletas; ad summam cum Moyse Canonicarum Scripturarum consensionem; ad eximia illa miracula quibus qua divina bonitas atque clementia, qua justitia et ubique potentissima Dei virtus commendatur. Præterea spectare oportet qui mores, quæ vita, quæ Patriarcharum Prophetarumque sanctimonia, ut inde vehementissime nobis animus ad virtutis amorem accendatur. Hoc illud est, ut Historiæ Romanæ Princeps aiebat, præcipue in cognitione rerum salubre atque frugiferum, omnis te exempli documenta in illustri posita monumento intueri, unde tibi tuæque Reipublicæ quod imitere capias; unde fœdum inceptu, fœdum exitu quod vites (1). »

Haud dubium relinquo *Prælectiones in vetus testamentum* quas manuscriptas servat Bibliotheca Quiriniana easdem esse quarum mentionem inchoant, loco supradicto, commentarii. Namque his verbis incipit hujus codicis præfatio : « Quæ res vobis mihique Deo auspice bene vertat, ad imperatum Veteris Testamenti historiam enarrandi negotium aggredior. Neque vero in hoc Prælectionum mearum vestibulo necessum esse video ut vos de litteraturæ cui operam dabimus usu atque præstantia perdoceam : *Id siquidem in ea Oratione quam, me illubente quin invito, nec opinante, Cesenates typi vulgavere pro virili parte confeci* (2). » Has igitur prælectiones Cæsenæ et Florentiæ, anno 1706, professus est Quirinus (3). Prolegomena primum complectitur codex noster, id est quatuor dissertationes : 1° de codice hebræo et lingua sancta : « Quoniam veteris Testamenti libros, si paucula quædam excipias, Moyses et Prophetæ hebraïca lingua conscripserunt, idcirco operæ pretium est in ipso prolegomenum vestibulo aliqua breviter de ipsa disserere (4) ; » 2° de Pentateucho Samaritico (5); 3° de græca septuaginta duorum translatione (6); 4° de latina versione (7). Subeunt postea Prælectiones XXI in Pentateuchum, cum dissertatione proemiali (8), quarum, exempli gratia sequentes memorabimus : de anno Cataclysmico, de Noachi ex arca egressu, de Semo ejusque posteris, de Chamo ejusque progenie, de Japheto ejusque prosapia, etc. (9).

(1) Oratio de Mosaïcæ historiæ præstantia, habita Florentiæ, anno 1705, iterum excusa Veronæ, an. 1741. Decas I. Epist. VI ad Nereum Corsinum, die 28 sept. 1741. Ad calcem hujus epistolæ.
(2) F° 13.
(3) Cf. pars I, caput primum.
(4) F° 18.
(5) F° 23.
(6) F° 27.
(7) F° 39.
(8) F° 47.
(9) Prælectiones V, VI, VII, VIII, IX, etc. — In codicis marginibus animadversiones variæ, seu græce, seu latine, scriptæ.

Sed de his hactenus; namque prima tironis experimenta attento posterorum animo indigna videntur; præsertim quum melioribus deinde scriptis Cardinalis noster inclaruerit.

II.

ENCHIRIDION GRÆCORUM ET VETUS OFFICIUM QUADRAGESIMALE GRÆCIÆ ORTHODOXÆ.

Duo quoque opera Sanctis Ritibus, ambo Græcorum priscis Ritibus, addixit. Libellum *Enchiridion Græcorum* inscriptum (1) Beneventanis typis evulgavit, jussus a Benedicto XIII quem provinciam Beneventanam administrantem metus subierat ne in ea quoque regione græci ritus sanctitatem vitia ab externis gentibus ingruentia fœdarent (2).

Hoc opus notandum est, quippe quod nos certiores faciat de Græcanicis usibus, in Italia meridiana, sæculo decimo octavo, nondum obsoletis.

Alterum autem, — *Vetus Officium quadragesimale Græciæ orthodoxæ*, — multo majoris momenti esse videtur (3), namque a Quirino ex præceptis sanæ eruditionis susceptum est. Legentes in memoriam reducant quo pacto Quirinus Sacræ Congregationi ad Officiorum Græcorum examen et emendationem præpositæ adlectus, huic cœtui promiserit se privatam suam operam collocaturum esse in curandis eorum librorum ad fidem veterum Codicum manuscriptorum editione latinaque versione. Ne revertamur ad machinas quibus tanti operis tomus primus tantum in lucem prodire potuit! brevemque orationem de hoc tomo faciamus.

Quadragesimalia officia Græciæ orthodoxæ includebat, recognita et castigata ad fidem codicis Barberini, conversa denique in Latinum sermonem. Præterea quinque diatribis augebatur, eruditis et amplissimis: prima, de Ecclesiasticorum Officiorum apud Græcos antiquitate; secunda, de Hymnis quadragesimalibus Græcorum eorumque auctoribus; tertia de aliis Canticis Quadragesimalibus Græcorum eorumque auctoribus; quarta, de Dominica Publicani et Pharisæi; quinta, de Dominica Filii Prodigi.

Exempli gratia, secundam de Hymnis quadragesimalibus Græcorum sumamus (4).

(1) Enchiridion Græcorum quod de illorum Dogmatibus et Ritibus Romanorum Pontificum Decreta post Schismatis Epocham edita nunc primum in unum collecta complectitur. Beneventi, 1727. Ex typographia Archiepiscopali, in-8°.

(2) Coleti, p. 66. Epist. XII, Benedicto P. P. XIV, die 6 Augusti 1742.

(3) Vetus Officium quadragesimale Græciæ orthodoxæ recognitum et ca stigatum ad fidem præstantissimi codicis Barberini in Latinum sermonem conversum. Romæ, per Galeatium Chacas, 1721, in-4°.

(4) Hæc rursus edita fuit an. 1743, inserta in Epist. XXV ad Renatum l'Aneau. Coleti, p. 136-161.

Quemadmodum ab ultima Ecclesiæ antiquitate Divinorum Officiorum originem apud Græcos repetendam esse priore diatriba palam demonstravit, ita altera comprobat scriptor de Sacrorum Hymnorum cantu idem ferendum esse judicium, quos nimirum certo constat omni tempore inter Ecclesiasticas Orientalium Preces locum in primis sibi vindicasse. Consuetudo hæc ut multi psalmos seu hymnos in honorem Christi componerent, eosque in Ecclesia cantari curarent, adeo invaluerat, ut Laodiceni Concilii decreto privatorum hominum audaciam coerceri opus fuerit qui eo modo etiam hæretica fidelibus divinas laudes decantantibus propinarent; quare vetuit in Ecclesia legi libros non canonicos et *privatos seu plebeios psalmos* (1). Multis scriptorum testimoniis sententiam suam firmat Quirinus. Quinam autem primis illis temporibus essent hujuscemodi hymni quibusve auctoribus conscripti pro incomperto habet. Hoc tantum manifestum est ducendum Hymnographos quos antiquiores manuscripti codices repræsentant nonnisi post septimum sæculum plerosque florere cœpisse.

Id est illius Diatribæ primum argumentum. Deinde loquitur de hymnorum quibus Græci utuntur genere et proprietatibus.

Sacri Græcorum hymni ex Odis componuntur seu novem, seu quatuor, seu tribus, seu quandoque etiam duabus tantum, et ex ea numeri varietate diversum quoque nomen sortiuntur; Canon enim dicitur hymnus, qui novem, Tetraodium, qui quatuor, Triodium, qui tribus, Diodium qui Duabus Odis constat. Singulis Hirmus præfigitur, veluti regula cantus, et præterea in hymni fronte certus tonus notatur. Odæ ex pluribus coalescunt Tropariis, quorum postrema plerumque Trinitatis et Deiparæ laudes continent, indeque Triadica et Theotocia nuncupantur. Primæ Tropariorum litteræ in unum conjunctæ Acrostichiden haud raro efficiunt. Omnibus hisce vocabulis operæ pretium est explicationem adjicere; de Canone igitur, de Hirmis, de Tropariis, de Tonis, de modulatione numerorum quæ, nonnullorum sententia, hujuscemodi hymnis inest, ac præsertim de Triodio disseritur.

Denique, in tertia hujus diatribæ parte, Triodiorum aliorumve Quadragesimalium hymnorum scriptores inquirit. Primo occurrunt duo celeberrimi Studitæ, ita a Byzantino Studii Cœnobio, ubi monasticis institutis vacarunt nuncupati, Theodorus et Josephus quorum nomina et vetustissimi Codices manuscripti et edita Exemplaria iisdem hymnis sæpius inscribunt. Postea in Theodori vitam, gesta et scripta incumbit Quirinus; quæ triodia illi tribui debeant accuratissime discernit; quæ Josepho, Theodori fratri, qui cum illo principem locum inter Quadragesimalis Officii melodos obtinet. Præter hunc Josephum, alium ejusdem nominis exhibent ecclesiasticæ Græcorum tabulæ, annis fortasse quadraginta juniorem, divinitus data extemporalium hymnorum gratia percelebrem; Joannem Damascenum, quem inter præstantissimos doc-

(1) Laodiceni Concilii Canon LIX.

tores suos censet Ecclesia Orientalis, qui sacra et ipse edidit cantica quibus magna pars Officii Ecclesiastici Græcorum constat; Theophanem, Cosmam, Triodii primum auctorem, Marcum, episcopum Hydruntinum, qui Hymnographorum Triodii syllabum claudit.

De quocumque singulatim agitur, ita ut omnia quæ ad hos veteres scriptores spectant perfecte cognoscamus; ne quis tamen auctorem utpote solutum ac fusum in rebus explicandis insimulet; ea temperantia utitur ut nulla levioris momenti referat.

Quid multa? Si ex hoc specimine Quirini eruditionem ac methodum æstimant docti viri, ægre ferent hujus generis opera ab illo incepta obtrectatorum artificiis in perpetuum interrupta fuisse.

III.

VARIA QUIRINI OPERA AD HISTORIAM ECCLESIASTICAM SPECTANTIA.

Cardinalis Quirini opera ad historiam ecclesiasticam pertinentia adeo multa sunt, triaque ex eis tanta cura perfecta, ut tribus illis proprium ac peculiare caput reservantes, hic tantum, plurimis prætermissis, *De Thiara et Purpura Veneta* libellum et *Chronologiam Summorum Pontificum*, memoraturi simus.

Prioris libelli consilium in animo Quirini injecerunt Pontificum et Cardinalium Venetorum imagines, ante annos viginti penicilli opificio adumbratæ in Aula majori Ædium Card. Tit. S. Marci. Illum, qui ab auctore « *Thiara et Purpura Veneta* » inscriptus fuit (1), in Decades Cardinalium Venetorum distribuit, quibus præmisit Summos Pontifices Venetos, eo tempore florentes quod singulæ Decades complectebantur. Anno 1750, Decadem primam, ab anno 1379 ad 1468, præfixis Summis Pontificibus Gregorio XII, Eugenio IV et Paulo II, Decadem secundam, ab anno 1489 ad 1527, ac denique partem primam Decadis tertiæ ab anno 1534 ad 1561, Romæ Quirinus typis mandavit. Duabus prioribus Decadibus Adnotationes ad calcem apposuit, raris vel tum primum editis documentis refertissimas.

Opus hoc sibi perficiendum suscepit Hieronymus Gradonicus, vir eximiæ pietatis atque eruditionis, ut alia ejus opera typis vulgata testantur. Hunc ille laborem aggressus est, auctore senatore Andrea Capello qui Brixianam provinciam, Prætoris et Præfecti nomine, summa prudentia administrabat. Is, pro ea qua cum Card. Quirino junctus erat familiaritate ac necessitudine, ejusdem gloriæ maxime studebat et erudito Gradonico operam suam pollicitus erat ad ea monumenta conquirenda, quæ operi de quo agimus ad absolutionem perfectionemque adducendo necessaria forent.

(1) De Thiara et Purpura Veneta, ante annos viginti penicilli opificio adumbrata in Aula majori Ædium Card. Tit. S. Marci, appositis tantum nominibus Pontificum et Cardinalium Venetorum, nunc aucta istorum elogiis, etc. Romæ, 1750, in-4°.

Alterum opus cui inscriptio « Chronologia historica summorum Pontificum usque ad Alexandrum VII Pontificem, » proferemus, propter quod nondum in lucem editum est, nec unquam probabiliter vulgabitur (1).

Quamvis enim satis amplum sit, seriem chronologicam tantum summorum Pontificum evolvit et rerum insignium quæ gesserunt. Compendium, ad studiorum et indagationum commoditatem aptum, esse videtur.

(1) Biblioteca civica queriniana, 2 vol. a. III. 8-9.

CAPUT II.

DE TRIBUS QUIRINI OPERIBUS AD HISTORIAM ECCLESIASTICAM SPECTANTIBUS ET INTER CETERA ENITENTIBUS, CHRONICIS FARFENSIBUS, CUM DISSERTATIONE DE MONASTICA HISTORIA; PAULI II VITA; ET EPISTOLARUM REGINALDI POLI COLLECTIONE.

Jam supra memoravimus quomodo Quirinus ad monastica studia, vocante Casinensi Congregatione, se convertisset, quantamque chartarum segetem colligendi copiam sibi fecisset, quum in Vaticana Bibliotheca investigationibus, tum peregrinationibus quibus deductus fuerat per Regni Neapolitani tabularia (1). Nunc nobis dicendum est quale fuerit opus ex iis indagationibus natum, id est Dissertatio, typis mandata, de Monastica historia, Editioque tantum comparata Monumentorum Farfensium.

I.

DISSERTATIO DE MONASTICA HISTORIA ET CHRONICON FARFENSE.

E Dissertatione de Monastica historia excerpemus quæ ad divulgandum operis ingenium ac rationem aptiora esse arbitrabimur (2).

Principio gratulabatur Casinensium Præsulum Senatui quorum sapientia decretum fuerat, ut e Benedictinis unus veteribus Cœnobiorum monumentis conquirendis, eruendis atque illustrandis incumberet, quo constaret Italos quoque Cœnobitas in commemorandis Patrum suorum gestis exterarum gentium studium atque conatus æmulari : « Quod doctissimi Viri ad Italiæ provincias ex remotissimis regionibus profecti nihil sibi antiquius esse præferebant quam ut ad Cœnobiorum nostrorum Bibliothecas et tabularia velut ad intactas fodinas convolarent, ibique latentes omnigenæ eruditionis divitias eruerent, quas postea in patriam reduces magnifice ostentarent et tanquam Italicis spoliis onusti præter modum superbirent; dum interea nos ipsi, seu opum nostrarum ignari, seu desides, ut illis videbamur, litterariique hujusmodi laboris impatientes, scrinia nostra peregrinis manibus

(1) Cf. pars I, p. 18.

(2) De Monastica Italiæ historia conscribenda. Romæ, 1717, in-4°.

compilata, prædasque ex agris nostris abactas tacito vultu spectaremus. Acciditque non raro merces nostras, vetera scilicet monumenta, ad exteras regiones convectata adscititio fuco et cerussa peregrina, quin quibusdam veluti præstigiis ita ornari, componi atque interpolari, ut postea publici juris facta, seu Italicæ gentis jura, dignitatemque imminuerent, seu nostrorum Principum auctoritati grave vulnus infligerent, seu Romanorum Pontificum majestatem violarent, quin etiam Ecclesiasticam in universum disciplinam, et sanctissima Fidei nostræ Dogmata, quantum in ipsis erat, labefactarent atque convellerent. Perinde quasi audaces illi nostro patrimonio non satis sibi divites effecti viderentur, nisi illud ipsum in labem atque perniciem nostram converterent, quasi etiam splendido epulo excepti convivæ innocuas escas pestifera tabe, qua ipsorum laborant præcordia, primum corrumperent, dein vero lethales halitus, grati veluti animi argumentum, afflarent. Fuere quidem, fatemur enim, ex ipsis nonnulli, probitate non minus quam doctrina excellentes, quibus Bibliothecas et Archiva nostra patuisse quammaxime gaudemus, quippe qui congestis opibus literariam Rempublicam ita locupletarunt, ut eo se propius a veritate, quo longius ab Italici nominis offensione abesse commonstrarent. At offensio hæc ipsa erat, atque admodum odiosa, quod hujusmodi homines per immensa itinerum incommoda Italiæ Cœnobia adeuntes, thesauros effodiant, eripiant avertantque, quos nos veluti damnosam hæreditatem repudiare atque aspernari videamur. Remque proinde vehementer pudendam iidem ipsi postea clamitabant quod Itali Cœnobitæ non externarum tantum sed domesticarum etiam rerum notitias ex alienigenarum eruditis lucubrationibus haurire cogeremur, eosque vocibus illis compellare quibus olim Tullius Varronem alloquebatur : Nos in nostra Urbe peregrinantes errantesque tui libri quasi domum reduxerunt, ut possemus aliquando qui et ubi essemus agnoscere, Tu ætatem Patriæ, Tu descriptiones temporum, Tu Sacrorum jura, Tu Sacerdotum, Tu domesticam, Tu publicam Disciplinam, Tu ædium, regionum, locorum, Tu omnium Divinarum, humanarumque rerum nomina, genera, officia et causas aperuisti. »

Deinde de Historia, medii præsertim ævi, tam Ecclesiastica quam Politica, Monasticarum ope chartarum illustranda in hunc modum disserebat :

« Ego vero Monasticis Italiæ rebus describendis destinatus, illico cogitavi non eas mihi tantum partes impositas, ut seu Præpositorum nostrorum series, seu piorum Ascetarum res gestæ, seu facta illa, et eventa, quæ claustrorum angustiæ circumscripserunt, ad hominum notitiam literis commendata deveniant, sed magnopere etiam enitendum ut monasticis scriniis summa diligentia excussius in publicam lucem educerem pleraque monumenta quibus media Ecclesiasticæ Historiæ sæcula, veluti novo eruditionis lumine collustrentur. Atque ubi primum avidos oculos manusque rapaces in nostrorum Tabulariorum arcas injeci, illico persensi materiam operis satis amplam meo propo-

sito atque conatui abunde respondere, qua videlicet non monastica tantum, sed publicæ etiam Historiæ magna pars mirifice explicetur. Chartulas ipsas quæ jejunæ omnino et miseræ videri possent, quibus nempe privati Contractus memoria, eaque implexis et squalidis verbis expressa continetur, Chronologicæ rei adjuvandæ difficilioribusque ejus nodis dissolvendis maxime inservire comperi. Siquidem, prout temporum illorum usus ferebat, non Dominicæ Reparationis annis, unde nihil ferme eruditionis expiscari liceret, sed Romanorum Pontificum, Imperatorum, Regum, aliorumque Principum temporariis notis consignabantur. Omnis autem eruditionis expers et prorsus inficetus habendus est ille qui hujusmodi Chronologicarum notarum usum non norit, quæ scilicet quamvis tenues et minutæ appareant, frequenter ad maximas controversias unice faciunt, indeque quorumdam factorum, de quibus non Eruditi tantum, sed Sacerdotium aliquando et Imperium, quam pro aris et focis acerrime digladiantur, seu veritas, seu falsitas, tanquam Lydio lapide comprobatur. »

Attamen, ut quisque intelligeret monasticæ in primis historiæ explanationem maximopere sibi cordi futuram, Quirinus hæc statim addebat :

« Cavebo tamen quam maxime ne Cœnobiorum nostrorum rebus illustrandis insudantem ita Chronologica hujusmodi, aliaque ad publicam Historiam spectantia veluti abripiant, ut expansis immenso pelago velis, littoris, unde solvi, riparumque quas primum radere cœpi, quodammodo oblitus, non amplius norim institutæ navigationis cursum moderari. Cavebo pariter ne tot exempla virtutum, quibus Monastica scatet historia, ne reliogissimam vivendi disciplinam, ne sanctissimos veterum Cœnobitarum mores, uno verbo, ne Ascetica hæc, tanquam minuta et privata nimis, non justa, sed perfunctoria tantum opera, parciusque quam par est consectemur. Et contra hæc illa esse, quæ in Monastica historia attentius a Cœnobitis spectari debent, procul dubio existimamus, sanctorum scilicet res gestæ, ut nimirum quum studium nostrum in piorum Virorum factis memoriæ prodendis consumamus, id magnopere consideremus, nihil nobis esse committendum, quamobrem eorum, quos laudamus, nos non simillimos præbeamus, utque nobis majorum veluti imagines intuentibus vehementissime animus ad virtutes accendatur, crescatque in pectore nostro ea flamma ex rerum gestarum memoria, neque prius sedetur quam virtus eorum famam atque gloriam adæquaverit. »

Exardescebat postea vehementer ad refellendam Criticorum audaciam, qui nimis temere de veterum chartarum sinceritate suspicantur :

« Apage homines quosdam malefariatos, quibus in mentem venit Monasticorum Tabularorium fidem omnem elevare, Monachisque teterrimam vitiatorum Diplomatum, suppositarumque schedarum invidiam conflare. Propulsavit hujusmodi calumniam doctissimus Mabillonius in egregio opere de Re Diplomatica, apertissime demons-

trans quod in veterum libris ac scriptis, quod in publica moneta, aliisque passim rebus, idem etiam accidisse in Diplomatis, in quibus corrupta quædam, aut interpolata nonnulla etiam temeraria fraude conficta sunt; nullum sanctius ævum quam nascentis Ecclesiæ, et tamen quanta falsorum Scriptorum monstra ementitis Apostolorum, aliorumque Virorum illustrium nominibus personata pepererit ætas illa, docere inter alia Gelasii Papæ censuram, qui apocryphas falsasque Scripturas a veris accurate discrevit. At sicuti neque omnes libros, neque genuina Patrum Opera, neque monetas denique omnes rejicimus, propterea quod in nonnullis imposturæ et vitia quædam retecta sunt, ita nihilo minus nefas esse vera diplomata ob quorumdam depravationes rejicere; nullum esse hominum genus, a quo tam multa, quam a Monachis sinceræ antiquitatis monumenta pura illibataque acceperimus, adeo ut Historiæ ea pars, quæ vetustis chartis instrumentisque continetur, manca, sterilis ac prope nulla esset, nisi ex Archivis monasteriorum peteretur. Actum mehercle foret de omni Antiquitatis studio, si liceret adversus veterum Monumentorum fidem atque auctoritatem hominum animos vagis quibusdam suspicionibus occupare; querimurque vehementer, hac nostra præsertim ætate quibusdam qui Criticen professi, ejus tamen fines et modum ignorant, volupe esse Historiam omnem sacram atque politicam scrupulis et dubitationibus farcire, eosque tunc sibi vere doctos videri, cum Scepticorum more nihil ipsi dogmatis afferentes, reliquorum omnium sententias evertant. Faciunt profecto homines isti, ut nimis intelligendo nihil intelligant et cum ratione desipiant. Stet itaque sua Monasticis chartis auctoritas ac fides illisque se plurimum debere publica historia ingenue fateatur. »

Instituebatur deinde a scriptore quæstio utrum magis expediat publicam Historiam quæ ex Monasticis chartis eruatur, monasticis ipsis narrationibus intexi, an seorsim ab ipsis collocari :

« Porro diu multumque cogitavi, num ea quæ ex Monasticis monumentis excerpta publicam tamen historiam respiciunt, ita monasticis narrationibus essent intexenda, ut cum illis eamdem quodammodo compagem efficerent et in unum veluti corpus coalescerent; an vero expediret illa seorsim posita singularibus commentationibus explicare. Et quidem prior ratio statim arrisit, namque videbantur monasticæ narrationes aridæ quandoque, et exiles, si publicis jungerentur, ingens inde pretium atque ornamentum accepturæ, atque adeo legentium palato veluti condita cibaria jucundiores futuræ. At postea consilii pœnituit, atque optimum factu existimavi, si alteram scribendi rationem secutus publica a privatis, aliena a domesticis secernerem; quandoquidem si hæc omnia in unum commiscerentur, et Monasticæ historiæ membra quodammodo luxari contingeret, et adnotationes illæ, ex quibus, ut speramus, haud exigua lux Ecclesiasticis Annalibus affulgebit, seu brevi omnino stilo forent perstringendæ, seu fusius tractatæ nil aliud nisi parerga et purpurei, qui late splendeant, panni

monasticis, ut ita dicam, cucullis assuti viderentur. Præterquam quod non ita domesticæ gloriæ amor nos fallit, quin videamus, multo avidius Ecclesiasticam, quam Cœnobiticam Historiam in opere quod molimur, a plerisque perquisitum iri, quos certe valde delectabit singula argumenta singulis dissertationibus exposita reperire, eaque libero pede, nihil moræ afferentibus Monasticarum rerum minutiis, ut videri possent, ac falebris, percurrere.

« Hoc vero non ita intelligimus, ut omnes prorsus publicarum rerum notitiæ a monasticis actis sint ablegandæ, illas etenim quæ hujusmodi sunt, ut ad monasticam historiam vere pertineant, illique arcto jungantur nexu, nequaquam animus est violenter a reliquo corpore divellere, ac quodammodo dilaniare, alioquin communem navem cum socio dividere videremur. Consilium nostrum eo tantum spectat, ut ea, quæ licet ex monasticis scriniis deprompta parum tamen aut nihil faciunt ad Monasticam historiam illustrandam, si publicam seu ecclesiasticam, seu civilem clariorem reddant, ea, inquam, singularem locum in Sylloge Dissertationum inveniant. Adsunt in tabulariis nostris quamplurimæ Chartulæ, in quibus nihil monastici est quod eruamus, nisi Abbatum, aut aliorum præpositorum nuda nomina, eæ tamen, si curiosis oculis introspiciantur, conferantur, vertanturque in omnem partem, et veluti torqueantur, incredibile est quantus inde sæpissime exquisitæ eruditionis succus exprimatur. Ex illis nimirum Romanorum Pontificum et Imperatorum involuta Medii ævi Chronologia accuratius explicabitur, Dinastarum qui per ea tempora Italiæ provincias gubernarunt, incerta adhuc Genealogia et series figetur nobiliorum apud nos Familiarum antiquitas comprobabitur, Longobardici regiminis forma innotescet, Geographica id ætatis Italiæ Descriptio dignoscetur, Barbarici Imperii jurisprudentia illustrabitur, Ecclesiasticæ obscuris illis temporibus Politiæ status apparebit : apparebunt etiam œcumenicæ Romanorum Pontificum potestatis certa ubique vestigia, nec ea quidem recens in spissa illius ætatis caligine signata, aut ex stupenda, ut quidam commenti sunt, Episcoporum reliquorumque Clericorum inscitia, et vetustorum Canonum ignorantia profecta, sed altius pressa, et primævæ antiquitatis, Apostolicorumque temporum consensu firmata. Denique, ut uno verbo dicam, omnis Mediorum Temporum eruditio obscura adhuc et cœca, ut effossum e terra aurum, perfractis monasticorum tabulariorum repagulis in hominum conspectum utilitatemque prodibit. Hæc, inquam, omnia si separatim a Cœnobitica Historia locentur, hoc minime erit membra a suo corpore distrahere, sed suam quibusque sedem assignare. »

Tandem explicabatur consilium *Monasticon* Italiæ conficiendi instar Anglicani a Rogero Dodsworthio et Gulielmo Dudgalio compositi, potius quam Annales eorum instar quos Mabillonius contexuerat :

« Ut promptior investigationum nostrarum fructus obveniat, eam inivimus rationem ut non universam Italici monachismi Historiam uno

eodemque opere atque contextu complectamur, sed illam per Cœnobia dispertientes Monasticon potius Italiæ Anglicani instar describamus. Namque si Annales ut Mabillonianos componere animus esset, post lustratos tantummodo Italiæ angulos omnes, post excussas Bibliothecas universas et compilata tabularia, postque immensam propemodum veterum Schedarum supellectilem undique corrasam de opere construendo cogitare liceret; e contra singularibus lucubrationibus singulorum Monasteriorum Historias in scripta redigentes illud consequemur, ut congestis memoriis duorum, vel trium cœnobiorum, aut quotquot ad unum justæ molis Volumen concinnandum necessaria esse comperiemus, calamum illico sumere manumque operi admovere permittamur. Suam habet utraque methodus tam Annalium quam Monastici utilitatem ac laudem, et Annalium fortasse magnificentior ac splendidior reputabitur, ac monastici longe expeditior, multoque opportunior visa est usui eruditorum, quos, ut speramus, magis juvabit singillatim cujusque Monasteri memorias unico contextu explicatas et illustratas reperire, quam illas huc et illuc dispersas, et in minutissimas partes concisas, aliisque omnino disparibus colligatas ex pluribus voluminibus assiduo et fastidioso evolvendorum indicum incommodo expiscari. Ad finem autem cujuscumque tomi, seu, ut melius, cujuscumque lucubrationis ampla Diplomatum et Veterum chartarum accedet Mantissa (1). »

Rerum monasticarum Italiæ tomus primus, ut supra dictum est, Cœnobio Farfensi unice dabatur. Cujus laboris momentum ex istis Muratorii verbis satis patet : « Nihil est quod ultra Lectores moneam Chronica quoque Monastica non solum ad ecclesiasticam, sed etiam ad secularem historiam plurimum subsidii adferre posse... Tam late olim propagatus fuerat atque ad tantum potentiæ, pariterque opum cumulum Benedictinus Ordo sensim conscenderat, ut Monachis plura cum Sæculi atque Ecclesiæ principibus negotia forent, ipsique eorum Abbates in Romanorum Pontificum, Imperatorum, ac Regum curia cogerentur interdum versari, et ad ardua etiam Reipublicæ consilia ac munia adhiberentur. Inter cetera vero Italiæ monasteria, *Farfens e potissimum olim splenduit, etc.* (2). »

Duchesnius, in tomo III Scriptorum Hist. Franc., Lutetiæ Parisiorum, varia excerpta Chronici monasterii Acutiani sive Farfensis, hoc est hujus Chronici, jam ediderat (3). Quirini autem opus in tres partes dividebatur, quarum prima nihilo minus ac undecim dissertationes comprehendebat, ad historiam ecclesiasticam et civilem illustrandam. Amplectebatur prima dissertatio seriem chronologicam gestaque Ducum Longobardorum Spoleti; secunda, politica consilia Sanctæ Sedis erga reges Longobardorum; tertia jurisprudentiam Longobardorum; quarta chronologicum indicem formulasque veterum

(1) De monastica Italiæ historia conscribenda, Romæ, 1717, in-4°.
(2) Muratorius, Script. rerum italicarum, t. II, p. II.
(3) Duchesnius, Script. Hist. Franc., t. III, p. 650. Lutetiæ Parisiorum, 1641.

diplomatum; quinta chronologiam gestaque nonnullorum Pontificum, Imperatorum et Regum; sexta notitiam multorum Italiæ episcoporum quos Ughellus sive prætermisit, sive tantum nomine designavit (1); septima notitiam quorumdam Italiæ monasteriorum; octava consuetudines monasticas; nona seriem Comitum Sabinorum; decima chorographiam Sabini agri, Reatini, et aliorum locorum; undecima defensionem politici dominii Romanorum Pontificum in omnes regiones Ecclesiastici Regni, ab eisdem Farfensibus monumentis sumptam, quæ nonnulli adversus Pontificem verterant.

In secunda parte totius operis narrabatur historia Monasterii Farfensis. Tertia denique Chronicon Farfense aliaque documenta ex iisdem tabulariis elicita concludebat (2).

Studuerat igitur Quirinus ut monumenta illa quibus adversarii politicæ Romanorum Pontificum in ditiones sibi subditas dominationis abutebantur ad eam oppugnandam huic potius adstruendæ ac muniendæ inservire dignoscerentur (3). Majellæ censoris auctoritas illum securum fecerat fore ut tantis conatibus faustus exitus responderet; namque postquam ea folia ob oculos habuerat in quibus tractationem instituerat Quirinus de Romanæ Sedis juribus, per litteras professus erat eorumdem lectionem jucundam sibi utilemque contigisse (4).

Attamen excitatæ de Comaclensi Ditione contentiones adeo sollicitum habebant eo tempore Pontificem, ut facile ejus animus in suspicionem adductus fuerit eas magis magisque incendi posse ex Farfensium chartarum de quibus agitur promulgatione. Cujus rei certior factus Quirinus a Majella, calamum statim adhibuit brevi cuidam scripto conficiendo, quo palam ostenderetur initam a se in iis chartis evulgandis rationem non quidem detrimentum causæ illi Comaclensi sed emolumentum esse allaturam. Namque documenta afferebat quæ et Fontanino et Zacagnio ignota fuerant. Summus tamen Pontifex, postquam Quirini opus perlegerat, aliquid detrimenti Sanctæ Sedis juri allaturum esse credidit noluitque imprimendi licentiam dari (5). Ab hoc tempore chronica monastica, sed non historiam ecclesiasticam, omnino deseruit scriptor.

(1) Ughellus, Italia sacra, sive de episcopis Italiæ opus, Romæ 1644 sq. 9 vol. in f°.

(2) Hanc voluminis dispositionem propalaverant erudita Diaria quæ Venetiis cudebantur, auctore viro celeberrimo Apostolo Zeno. Nihil, præter hunc indicem, tanti operis, ad nos pervenit. Cf. Commentarii, t. II, cap. VIII.

(3) Comment., t. II, p. 124.

(4) « Vengo ad assicurarla del mio contento nel vedere tanto ben difesi i diritti della S. Sede nella sua dotissima scrittura. »

(5) De his omnibus cf. : *Sopra la Raccolta de' Monumenti Farfensi;* opusculum inter Epistolas italicas insertum : Alli Eminentissimi e Reverendissimi Signori Cardinali della S[a] Congregazione dell' Indice de' Libri proibiti, per il Card. Ang. Mar. Quirini. Roma, per il Giannini e Mainardi. 1730, in-f°.

II.

PAULI II VITA.

Pauli II vitam (1), ut antea dictum est, scripsit Quirinus, anno 1740, tempore quo Pontificia Comitia peragebantur, vel potius, quam olim ex manuscripto Codice Angelicæ Augustinensium Bibliothecæ exscribendam curaverat, in manus resumpsit eamque evulgare constituit (2). Edita quidem ea fuerat a Sociis Palatinis Mediolanensibus part. II, t. III Scriptor. Rer. Italicar., at quam imperfecta et manca facile cuivis patet eam cum Quiriniana editione comparanti: « Diligentiam a me adhibitam, ait auctor, in eo Augustinensium Codice consulendo compertam jam habens Vir Clarissimus Ludovicus Muratorius, ac pro more suo humanissime commendans in brevi Præfatione ibidem Pauli Gestis præfixa, eam litteratis Viris expectationem commovit, cui ut pro modulo meo satisfacerem, libentius adhuc suscepto labori me addixi. Quid autem præcipue in causa fuerit, cur Pauli II Gestis illustrandis manum admovere ab aliquot jam annis meditarer, illico quivis intelliget, qui ad ejus Pontificis patriam, ad titulum, quem diu gessit, Basilicæ S. Marci, ad beneficia quibus eam Ædem affecit, ac demum ad amplum Palatium prope eamdem ab ipso constructum, mentem advertat. Hæc enim omnia ejuscemodi sunt, ut a me, cui cum Paulo II eorum omnium, Patriæ scilicet, tituli, ac domicilii divino munere obtigit communio, grati animi vices deposcant. Has ut magis magisque exhibeam, eidem Vitæ præmittendas censui Vindicias quasdam ad propugnandam, defendendamque adversus Platinam, aliosque obtrectatores, Sanctissimi Pontificis memoriam (3). »

Harum vindiciarum fundum Quirino suppeditarunt, præter ipsam vitam, ea quæ de ejusdem Pontificis gestis e duobus Vaticanis Codicibus excerpsit. Inter editos vero libros, eidem argumento magnopere inservierunt Jacobi Cardinalis Papiensis Epistolæ et Commentarii : « Fuit enim hic vir, ut Jovii verbis utar, inter sacrati ordinis Senatores

(1) *Pauli II Veneti Pont. Max. Vita* ex Cod. Angelicæ Bibliothecæ, præmissis ipsius sanctissimi Pontificis Vindiciis adversus Platinam aliosque obtrectatores.

Accedit *Appendix* qua comprobatur Pauli II Pontificatus felicitati deberi optimorum Scriptorum Editiones quæ Romæ primum prodierunt post divinum Typographiæ inventum a Germanis opificibus in eam Urbem advectum, plerisque omnibus earum Editionum seu Præfationibus, seu Epistolis in medium allatis, etc. Romæ, per Antonium de Rubeis, 1741, in 4°.

(2) Commentarii, t. III, p. 269.

(3) Pauli II Vita; præfatio. Hæc sunt Muratorii verba: « Me tamen per literas monuit amplissimus atque eminentissimus S. R. E. Cardinalis et Bibliothecarius, A. M. Quirinus, Episcopus Brixianus, sibi tantum diligentiæ adhibitum fuisse ut reliquam etiam partem hujusmodi librorum in Angelica Augustinensium Bibliotheca detexerit, spe etiam mihi facta, omnia sibi evulganda in vita Pauli II Pontificis conterranei sui. Itaque ab ipso Cardinali, cujus singularem Eruditionem, judicii soliditatem et elegantiam ingenii in libris jam editis literaria Respublica suspexit uberiusque in dies suspiciet, etc., etc. » Script. Rer. Ital., t. III, part. II, col. 1023.

pari virtutis atque fortunæ munere lectissimus. Erat enim cum optimarum litterarum studio et vigilantis ingenii fertilitate, cum animi judicio, styloque, et perspicuis moribus Pio II persimilis, a quo adoptatus in familia nomen et ad Purpuræ decus evectus est. » Augustinus Oldoinus quoque scripsit in Nova Additione ad Pauli II Vitam : « Papiensis Cardinalis licet non paucas habuerit causas de Paulo conquerendi, ut ex ejus diversis Epistolis constat, nunquam tamen destitit ei obsequentissimus permanere, atque etiam non semel in scribendis ejus nomine majoris momenti Epistolis usui esse, ac laudare sæpissime de multis virtutibus et de cura Pontificatus. »

Pontificia Comitia exitum habuerunt antequam opus de Pauli II gestis absolveret Quirinus; peractum tandem fuit in Ædibus S. Marci quadragesimo die post Benedictum XIV ad supremum Ecclesiæ thronum evectum.

Quirinus, ut a Paulo II removeat crimen, quod in illum finxit Platina, de litteratorum virorum vexatione, quibus stimulis eos Pontifex contra incitaverit exquirit et significat. Illum præcipue typographicæ arti recens inventæ favisse demonstravit; propterea operi addidit Appendicem qua comprobabatur Pauli II Pontificatus felicitati deberi optimorum Scriptorum Editiones quæ Romæ primum prodierunt, post typographiæ inventum a Germanis opificibus in eam Urbem advectum; plerasque earum Editionum seu Præfationes, seu Epistolas in medium attulit, adauxitque observationibus rei typographicæ illustrandæ valde opportunis.

Hæc appendix, cum Schelhornii additionibus et adnotationibus, anno 1761, typis iterum edita fuit (1); magni pretii facta est, donec Audiffredus optimum librum vulgaverit, cui inscriptio : Catalogus historico-criticus editionum Italicarum sæculi XV (2).

Præterea Cardinalis Quirinus opere suo probare conatus erat Pauli II curam in congregandis numismatibus, tabulis, signis, aliisque antiquitatis monumentis; finem sibi propositum feliciter assecutum esse videtur (3).

III.

COLLECTIO EPISTOLARUM REGINALDI POLI.

Hæc collectio in præcipua Quirini opera referenda est, namque multa ad Anglicanæ Ecclesiæ a Romana discidium pertinentia, seu documentis, seu diatribis, in lucem profert. Illa accuratissime edita

(1) Liber de optimorum scriptorum editionibus, quæ Romæ primum prodierunt post divinum typographiæ inventum, cum adnotationibus et diatriba præliminari Io. G. Schelhornii. Lindaugiæ, 1761, in 4°.

(2) Audiffredus, Ordini S. Dominici adscriptus, 1714-1794, hunc librum edidit Romæ, 1783, in 4°. De Quirini Appendice, de Schelhornii editione, et de Audiffredi opere, cf. Brunet, Manuel du Libraire, et Daunou, loc. cit. p. 628.

(3) Coleti, p. 79; Epist. XIV Claudio de Boze, 6 Kal. Nov. 1742.

sunt, hæ autem controversiæ pressæ et vehementis exempla produnt.

Volumen quodque litteras, varia monumenta et historicas dissertationes complectitur.

Primum litteras continet ab anno 1520 ad annum 1536 scriptas, scilicet a primo Reginaldi Poli Patavium adventu usque ad delatum ei a Paulo III Cardinalatum.

Antequam summam operis perfecisset, diatribam qua Cardinalis Poli res gestas illustrabat atque vindicabat, Quirinus seorsim communicaverat cum nonnullis celebriorum inter Germaniæ heterodoxos Scriptorum, ut eorum exploraret sensus, et si quæ haberent ad objiciendum hac arte eliceret. Hi potissimum fuere Hermannus Reimarus, publicus Hamburgi professor, Otto Fridericus Menchenius, cujus cura Acta Eruditorum Lipsiæ vulgabantur, ac Joannes Georgius Schelhornius, Memmingensis Bibliothecarius (1).

Quoniam vero priores duo nondum responderant, sive quod longiori locorum intervallo distarent, sive quod studia ab argumento in diatriba pertractato aliena colerent, Schelhornius autem, ut qui et propior esset et idem argumentum prosecutus jam fuisset in suis Litterariis Amœnitatibus, satis prolixam ad Cardinalem epistolam dederat, qua multa in diatribam acute ac subtiliter more suo disputabat, idcirco eam totam Tomi initio imprimendam existimavit Quirinus. Opportunas tamen identidem animadversiones interposuit, quibus schelhorniana objecta non minori acumine ac subtilitate refutare contendit. Ita cum Schelhornio se gessit Card. Quirinus, uti olim Jacobus Sadoletus et ipse Polus adversus Melanchthonem et Joannem Sturmium pugnaverant, pacate nimirum atque humaniter (2). Hæc quidem Poli epistolarum collectio ineundi per litteras cum Schelhornio commercii, quod deinde usque ad vitæ exitum fovit, Cardinali nostro occasionem præbuit.

Has animadversiones consequitur Reginaldi Poli Vita a Ludovico Beccatello italica primum lingua scripta, tum ab Andrea Dudithio in latinum sermonem conversa, et in gallicum nuper a Maucroisio (3). Quorum unus et alter aliquo temporis spatio Poli fuere familiares et itinerum comites; uterque Litteraturæ laude et gestis ad Ecclesiæ Romanæ commoda muneribus fulsit; uterque ad episcopalem dignitatem evectus fuit, sed Dudithius deseruit demum Catholicæ religionis castra.

Huic Vitæ subjicitur Reginaldi Poli Apologia ad Carolum V quam ideo scripsisse eum constat ut prooemii loco ejus operi *De unitate ecclesiastica* præfigeretur. Id quidem Romæ, eo absente, quum Pontificia apud Cæsarem et Francorum regem legatione fungeretur, Pontificis jussu excusum typis fuerat; prooemium autem, facta jam Editione, Polus composuit, sed ægre et illubenter, quo factum est ut nunquam

(1) Comment. Continuatio, t. I, p. 143.

(2) Coleti, p. 520, Epist. 64, Samueli Formeio, 30 decemb. 1748. « Professi sunt isti haud raro, etc. »

(3) Coleti, p. 185; epist. 28, Renato L'Aneau, V. Kal. April. 1744.

illi extremam manum admoverit. Quorsum autem in eo prooemio exarando spectaverit facile intelliget quicumque æquo animo legerit; neque enim aliud cogitasse videtur quam æternam Regis sui salutem et Ecclesiæ catholicæ tranquillitatem (1).

Quemadmodum vero Carolo Cæsari, ita etiam Jacobo Scotorum Regi Apologiam illam inscribere videtur Polus animo agitasse, nam Vaticanus Codex manuscriptus, unde eruta est ea de qua loquimur Apologia, partem etiam aliquam exhibet alterius prooemii quod ad Jacobum dirigitur.

Ergo hoc alterum prooemium Apologiæ subjungitur, quod excipit ejusdem Poli ad Angliæ parliamentum Apologia.

In hac duo sibi a Parliamento objecta crimina manifestissima purgat, quorum alterum erat quod librum composuisset Regiæ Henrici VIII Majestati injuriosum; alterum quod in Cardinalium Cœtum cooptari se passus fuisset. Quod enim ad primum attinet, satis aperte ostendit, nihil in eo libro scripsisse se, nisi quod ad Regis salutem procurandam, ad adducendum ipsum ad pœnitentiam, ad ejus honorem reparandum conducere poterat; quod vero ad alterum spectat, miratur cur tanquam Regis inimicus traducendus sit quod Cardinalis fuerit; testatur Pontificem Paulum III ita non esse animo ab Henrico alieno, ut nihil in ejus vel dictis, vel factis præsens deprehenderit. Demum declarat se Cardinalis dignitatem acceptasse ut honori Anglicæ nationis consuleret, ne scilicet indicto generali Concilio nemo ex ea natione esset qui eidem interveniret (2).

Dum his præliminaribus monumentis prælo parandis Quirinus incumberet, ad ejus manus pervenit Reimari responsio V Kal. Jul. an. 1744 consignata, qua valde probabat quæ ille in diatriba, sive contra Burnetium, sive pro Polo disceptabat.

His monumentis de quibus satis jam diximus, Diatriba subjiciebatur sex in capita distributa quorum hæc est summa. Primi argumentum est primus Poli novemdecim annos nati ex Britannia Patavium adventus et quinquennii in ea Urbe mora, scilicet ab anno 1520 usque ad annum 1525. Agitur in capite secundo de Poli Patavio discessu, de Romano itinere, de reditu in Angliam, de binis annis in ea consumptis, ac demum de ejus ad Parisiensem Academiam accessu, tractaque ibi unius anni mora. Poli in Angliam reditus et quæ in ea gessit biennii tempore argumentum præbent capiti tertio, ubi refutanda se offert Burnetii Historia in binis gravissimi momenti articulis. In capite quarto, in quo Poli ex Anglia discessus, Avenionense per unum fere annum domicilium, hospitium apud Sadoletum Carpentoracti, denique novus Patavium et Venetias accessus describuntur, licet Burnetii Historiæ nulla fiat mentio, ejusdem tamen refutationi singula illa magnopere inserviunt, quod Polum, multo etiam magis quam antea, integrum vitæ

(1) Coleti, p. 189; eadem epistola.
(2) Ibid., p. 191.

scelerisque purum repræsentent. De altero biennio quod Polus in iisdem partibus transegit, præsertim de conscripto ibidem opere pro defensione Ecclesiasticæ Unitatis, ac tandem de pontificio ejusdem ad Urbem accersitu, in capite quinto disseritur. Postremum diatribæ caput Romanam Poli profectionem, litteras quas ex Anglia in itinere accepit, ejus Romam adventum, curam quam ibi, mandante Summo Pontifice, una cum aliis doctissimis viris cepit pro Ecclesiastica disciplina instauranda, ac demum ipsius in sacrum Cardinalium ordinem cooptationem complectitur (1).

Hæc sunt quæ epistolas Poli ad alios, aut aliorum ad ipsum præeunt in hoc tomo primo in cujus etiam fronte apparet Poli effigies satis elegans simul et gravis cum hìs M. Antonii Flaminii versiculis :

Si velut egregia pictura, maxime Pole,
Est expressa tui corporis effigies,
Sic divina tuæ potuisset mentis imago
Pingi, nil oculi pulchrius aspicerent.

Ejusdem Collectionis tomus secundus duas et nonaginta epistolas complectitur, quarum duntaxat quatuor editæ antea fuerant, scriptas annis 1537, 1538, 1539, scilicet ab inita legatione belgica usque ad desinentem legationem hispanicam. Quum autem pleræque de gravissimis Ecclesiæ negotiis agant, patere statim cuique potest quanti faciendæ sint, quamque iisdem Ecclesiastica ejus temporis Historia illustrari possit. Quatuor in partes illas commode tribuas : prima gratulatorias aliorum ad Polum ob delatum ipsi Cardinalatus honorem, atque officiosas ejusdem responsiones continet; altera epistolas illas exhibet quibus Polus Belgicæ Legationis consilia exponit; tertia eas quas post reditum in Italiam conscripsit; quarta demum eas refert in quibus de Hispanica legatione agitur. Ut autem Card. Quirinus volumini primo quædam Poli gestis sive vindicandis, sive evolvendis præmiserat, ita etiam huic tomo secundo alia nonnulla præfigenda censuit; et primo quidem alteram Schelhornii epistolam perpetuis animadversionibus castigatam; secundo Diatribam, ubi singulæ hujus voluminis epistolæ recensentur, e quibus ea præsertim loca excerpuntur, quæ Romæ Ecclesiæ ea ætate quamdam veluti imaginem ob oculos ponunt, unde manifeste liqueat quam injuste ab ea sectarii secessionem fecerint; tertio monumenta quædam præliminaria Lectori objicit : ea autem constant Epistolis octo Pauli III ad Angliæ populos, ad Regem Scotiæ, ad Regem Galliæ, ad Reginam Belgii Gubernatricem, ad Cardinalem Leodiensem, atque ad Polum ipsum quas Odoricus Raynaldus e Vaticanis Tabulariis deprompserat. Instructiones item duæ quarum altera ad Belgicam, altera ad Hispanicam Poli Legationem spectat; primam Polus ipse Pontifici obtulerat, cognoscendi cupidus an illius mentem recte percepisset, ut imposito sibi munere scitius ac fidelius fungeretur. Quatuor demum Alexandri Cardinalis Farnesii epistolæ

(1) Diatriba præliminaris, 190 p. in-4°. Ejusdem synopsis, Coleti Epist. 28, p. 183-193.

Toleti datæ quo tempore Ablegati Pontificii partes ageret; prima Polo, tres reliquæ Paulo III perscriptæ sunt (1).

Volumen tertium epistolas complectitur scriptas annis 1540, 1541, 1542, scilicet ab exitu legationis hispanicæ usque ad mortem Card. Contareni. His præmittuntur Apologetica Præfatio bifariam divisa, Diatriba et plura monumenta (2). Occurrit in ipso veluti operis aditu nuncupatoria ad Cardinalem de Alsatia, in qua cur illi potissimum tertia hæc Collectionis pars inscribatur rationes afferuntur. Prima pars præfationis exhibet judicium de primis duobus hujus operis voluminibus ab Actorum Lypsiensium compilatoribus mense Augusto an. 1747 prolatum, una cum perpetuis in idem judicium Animadversionibus et castigationibus, quæ omnia typis jam vulgata fuerant in Epistola III Decadis VI (3). Altera vero pars Polum vindicat a quibusdam falsis suspicionibus quibus Viterbiensis ejus commoratio laboraverat. Poli vindiciis Diatriba subjungitur de Gestis Contareni in Conventu Ratisbonensi, cujus Historia non aliunde accuratius quam ex mutuis Poli et Contareni Epistolis peti potest. Post Diatribam sequuntur monumenta plura, eaque potissimum ad Contareni res illustrandas conducentia : *Contareni Vita*, duplex, altera italice a Ludovico Beccatello, altera latine a Joanne Casa conscripta; *Tractatus* sive *Epistola Contareni de Justificatione* ex Editione Parisiensi an. 1571; Contareni Epistolæ quædam, multoque plures aliorum ad ipsum antea ineditæ. Ultimo tandem loco apparet quadruplex Instructio ex Veneto Petri Gradonici Codice, prima latina pro Germanica Contareni Legatione, secunda italica Joanni Riccio a Monte Politiano; tertia latina Hieronymo Riario, quarta pariter latina Hieronymo Card. Brundusino tradita.

Inscribitur volumen IV, quod in lucem prodiit Brixiæ, an. 1752, Petro Card. de Tencin Archiepiscopo Lugdunensi, quocum vetus necessitudo et frequens litterarum commercium Cardinali nostro intercedebat (4). Versatur autem hæc epistola in commendanda Cardinalis de Tencin animi fortitudine, qua exemplo Card. Poli paratus erat quidvis potius pati quam consentire ut Religionis ac Fidei causa quidquam detrimenti in Gallia pateretur. Complectitur autem hoc volumen epistolas Card. Poli sive aliorum ad ipsum ab initio anni 1543 ad exitum anni 1554, scilicet usque ad navigationem in Angliam ex Legatione ei a Julio III P. M. demandata ad pacificandum Regnum illud cum Ecclesia catholica et luculentissimum apparatum quo Card. Poli acta, spatio temporis quo exaratæ sunt, comprehensa, de more erudite ac solide aut illustrantur aut vindicantur.

Tantum hoc opus imperfectum reliquit Card. Quirinus. Postremum Collectionis Epistolarum Reginaldi Poli volumen debetur diligentiæ

(1) Comment. Continuatio, t. I, p. 211.
(2) Ibid., p. 357.
(3) Coleti, p. 189.
(4) In Bibliotheca Quiriniana, Brixiæ, servantur 31 epistolæ Cardinalis de Tencin.

et curæ Antonii Guelfi, Presbyteri Brixiani, qui pro ea quam Quirino in litterariis laboribus navabat operam, omnia in eo digessit prout e mente ac voluntate ejusdem Cardinalis esse noverat. In hoc epistolas scriptas ab exitu anni 1554 usque ad finem anni 1558 invenies, scilicet ab inita in Anglia Apostolicæ Legationis administratione usque ad Poli mortem et Appendicem Monumentorum ad easdem spectantium.

Quot et quantæ cum heterodoxis Germaniæ eruditis controversiæ ex hoc libro ortæ fuerint, forsitan meminerint lectores. Eas testantur Acta Lipsiensia (1).

(1) Cf. Pars IIa, caput VI.

CAPUT III.

DE QUIRINI OPERIBUS AD LITTERAS PERTINENTIBUS, PRÆCIPUE DE PRIMORDIIS CORCYRÆ ET SPECIMINE LITTERATURÆ BRIXIANÆ.

Inter litteraria Quirini opera, duo haud dubie primum locum obtinent, unum ad Antiquitatem, alterum ad renascentium litterarum ætatem, spectantia : id est *Primordia Corcyræ* et *Specimen litteraturæ Brixianæ*; illis igitur fere totum hoc caput dabimus.

I.

Non omnino tamen prætermittemus *Editionem Epistolarum Francisci Barbari* (1), nec opusculum inscriptum : *Monumenta litteraturæ Episcoporum Venetæ ditionis qui Francisci Barbari ætate floruerunt* (2); etenim ambo historiæ litterariæ magno adjumento fuere.

Fortuitum occurrerat Quirino nomen Francisci Barbari dum tomum vigesimum octavum Ephemeridum litterariarum, quarum auctor Cl. Apostolus Zenus, evolveret. Ibidem legerat Franciscum Barbarum Brixiam defendisse; Crisoloræ discipulum fuisse; scripsisse librum de re uxoria, orationes et epistolas; a Plutarcho Vitas Aristidis et Catonis transtulisse, mortuum denique esse an. 1454; illum Doctorem, Equitem et Procuratorem fuisse, amicum Filelfi et omnium illustrium hominum tunc vigentium. Addebat auctor : « Hermolaus noster (id est Hermolaus Barbarus, Aquilensis Pontifex, et maxima eruditione præclarus) de Francisco Barbaro dixit : Mihi paternus fuit avus, orator in urbe nostra summus, sed utraque lingua, librum de re uxoria condidit pene puer, etc... *Libros epistolarum multos reliquit quos quidem cum per pestilentiam licuerit, imprimendos curabo.* » Pestilentia autem mortuo Hermolao, hæc editio an. 1739 etiam desideranda erat; quod ægre ferebant Ephemerides litterariæ. Franciscus Barbarus etenim, Patricius Venetus præstantissimus, inter maximos quindecimi seculi litteratores eminuerat; præterea rei publicæ gerendæ scientia et arte militari excelluerat; tanti viri epistolæ haud spernendæ erant.

Cognoverat insuper Quirinus Francisci Barbari epistolas contineri

(1) Francisci Barbari Epistolæ ab an. 1435 ad an. 1443, nunc primum editæ ex duplici Ms. Codice Brixiano et Vaticano uno. Brixiæ, Rizzardi, 1743, in 4°.

(2) Coleti, p. 44.

in Codice quodam, ad Gelminum Doctorem Veronensem spectante quem tunc Brixia possidebat.

Rem igitur et Veneto Cive et Brixiano Episcopo dignam facturum putavit si ejusdem Barbari Epistolarum editionem adornare aggrederetur, eo magis quod olim, in colloquio familiari cum Præsule Fontanino Venetos patricios litteraturæ fama illustres recensens, Franciscum Barbarum omiserat, mirante Fontanino qui eum *litteraturæ miraculum* esse denuntiabat.

Præter Gelmini Codicem plurimos alios in manus habuit Cardinalis, imprimis Brixianum alterum, Vaticanum unum, et Forojuliense Guarnerianum. Tam uberem suppellectilem in propatulo ponunt tres Præfationes tomo primo appositæ, quarum synopsin studiose legentes in Commentariis invenient (1).

His præfationibus additur *Diatriba præliminaris ad Francisci Barbari et aliorum ad ipsum Epistolas, in duas partes divisa.* Prior de Francisci Barbari in latinis græcisque litteris præstantia, a doctis viris ejus ætatis magno in pretio habita, disserit; altera autem de Pacis et Belli artibus quibus idem Rempublicam domi forisque administravit.

Hac diatriba non solum illustratur Francisci Barbari vita, sed et universa XV^{mi} seculi historia litteraria, quippe quæ multis documentis et sententiis, de rebus et de viris litteratis ejusdem temporis, augeatur; attamen imperfecta compositione et nonnullis erroribus deformatur (2).

Barbari epistolas comprehendunt tomi duo qui Brixiæ prodierunt annis 1741 et 1743.

Huic operi conjungendum est opusculum cui inscriptio : « Monumenta litteraturæ Episcoporum Venetæ ditionis, qui Francisci Barbari ætate floruerunt, partim ex ejusdem Epistolis, partim ex testimoniis, plerisque nunc primum editis, deprompta (3). »

In eo sex et viginti Præsules recensentur, qui ab anno 1430 usque ad an. 1475, episcopales Infulas in Veneta ditione gesserunt, binis tantum exceptis, nimirum Gregorio Corrario et Theodoro Lælio qui tamen intra illud intervallum Ecclesiastici gradus honore jam præfulgebant, ex quo hic Tarvisinam, ille Vicentinam primum, deinde Venetam cathedram contendit.

II.

PRIMORDIA CORCYRÆ.

Homini græcæ linguæ et litteraturæ perito, Corcyrensis præterea archiepiscopi infulas gerenti, animo fuisse primordia Corcyræ scrutari

(1) Commentarii, t. III, p. 233-248.
(2) Cf. Ginguené, de Francisco Barbaro, Biographie universelle de Michaud.
(3) Hoc opusculum inseritur in Epist. XII Quirini ad Benedictum P. P. XIV, 6 Aug. 1742; Coleti, p. 45 sq.

nulli mirum videbitur. Quibus causis, quove studio hunc librum elaboraverit, Quirinus ipse exposuit in Præfatione eidem apposita : « Æstivis, ait, caloribus, quibus Orientale Corcyræ solum quam maxime exardescit, libelli hujus Lyciensi prælo editionem debes, humanissime Lector (1). Hi siquidem cum igneam quam a natura sortitus sum habitudinem haud parum conflictare inciperent, necesse habui Corcyra, canicularibus diebus, demigrare, atque ad temperatiorem Neapolitani cœli plagam quæ illam propius respicit divertere. Quæ temperies, cum corpus meum illico juvaret, interim, ne otio animus prægravaretur, græcorum typorum, quæ se mihi in hac Urbe offerebat, opportunitatem arripere constitui. Quapropter ex grandi Corcyræarum rerum Commentario (cui moliendo, ut primum Corcyræ Præsulem Innocentii XIII auctoritas me renuntiavit, animum appuli) priora quædam capita excerpsi atque ea sunt quæ Primordia Corcyræ inscripta publica nunc luce donantur. »

Corcyræarum rerum grandi illi Commentario conficiendo calamum adjunxerat Patavii, anno 1724, priusquam Corcyram peteret, maxima opportunitate usus quam illi largiebantur ditissimæ ejus Urbis bibliothecæ. Hæc autem prior Editio, per aliquot menses navata, fere nullius pretii est (2), quippe quæ brevis et parum accurata sit (3).

Opus igitur diligenter recognovit auctor et multis partibus adauxit; inde altera editio quæ terdecim post annis, Brixiæ, in lucem prodiit (4); cum illa copulanda est Appendix de antiquis Corcyræ nominibus, contra Alexium Symmachum Mazochium, a Quirino, Romæ, anno 1742, edita (5).

A larga enim et erudita dissertatione de his nominibus, incipit opus (6). Multis scriptorum locis eamdem fuisse Corcyram ac Drepanum, sive Macridem, sive etiam Pheacum terram, ab Homero memoratam, demonstrat; fabulas de illorum nominum origine ab Apollonio Rhodio, Lycophrone, Hesiodo, eorumque scholiastis relatas doctissime perpendit. Mazochius autem, quum a Quirino leviter dissentiret, *Schediama de antiquis Corcyræ nominibus* illi inscripsit, quod, summa urbanitate, refellere Quirinus conatus est (7). Postea de primis Corcyræ regibus, præsertimque de Pheace, in Cardinalis libro agitur (8).

(1) Cf. supra, pars Iª, caput IV, p. 28.

(2) Cf. Brunet, Manuel du Libraire.

(3) Primordia Corcyræ, Lecce, 1725, in-4°.

(4) Primordia Corcyræ, post editionem Lyciensem anni 1725 ab Auctore nuperrime recognita et multis partibus adaucta. — Appendix, sacra quædam Corcyræ primordia repræsentans, scilicet recens initam rationem ab auctore dum ejus insulæ Episcopatum gereret pro innocue retinenda quæ ibi viget inter Latinos et Græcos in Sacris consuetudine. — Dicta illustrium Auctorum expensa et emendata in libro cui titulus Primordia Corcyræ. — Brixiæ, Rizzardi, 1738. 1 vol. in-4°.

(5) Appendix de nominibus Corcyræ, Romæ, 1742, in-4°.

(6) Caput I et II.

(7) Coleti, p. 67. Epist. XIII. Alexio Symmacho Mazochio, V Kal. Oct. ann. 1742. « Ineunte hoc ipso mense Septembri,... Vir clarissime, Schediasma de antiquis Corcyræ nominibus, quod typis editum mihi pro humanitate tua inscribere dignatus es. »

(8) Cap. III, IV et V.

Caput VI Ulyssi apud Pheaces morato datur; septimum antiquæ Corcyræ Urbis descriptioni. A capite VIII usque ad XIV altera dissertatione Pheacum religio, leges moresque exponuntur. Qui haud minus ac totum caput cantori Demodoco dedit, duo capita, e jucundissimorum numero, venustæ Nausicaæ urbanus addicit (1).

Profecto Ænea qui ad Corcyræum littus tantum appulit, istius insulæ tempora fabulosa exitum inveniunt (2). Tunc, ultima dissertatione Corcyrensem politicam historiam ab origine, usque ad Peloponnesium bellum, narrat Quirinus, et nonnullis diatribis illustrat (3). Opus demum concludit prolixa appendice ubi referuntur dicta illustrium Auctorum in libro Quirini expensa et emendata (4).

Inter illa hoc notavimus, quod nobis haud parum lepidum visum est.

Mulierem quamdam Corcyræam, nomine Agallis, pilaris lusionis inventionem Nausicaæ tribuisse testantur Athenæus, Suidas, Eustathius Scholiasta, etc. Quæ veterum Scriptorum testimonia haudquaquam comperta habens maximus Isaacus Newtonus, hallucinatus est in adscribenda technicæ pro repræsentandis cœli motibus Sphæræ inventione Nausicaæ, eam verosimillimum putans ab Argonautis, dum in Corcyra morarentur, accepisse Nausicaam, quibus nimirum ante elaborata foret a Chirone atque Orpheo ad longæ navigationis usum. Ita ipse testem adhibet (quod spectat ad Sphæræ inventionem) Suidæ textum ex Athenæo ortum (5). Attamen ipsemet Suidas in voce Σφαῖρα, idem repetens de Nausicaa, mox subjicit vocem σφαιρίζω, *pila ludo*, unde Suidas ipse priorem vocem, absque interpretis ope, explicasse comperitur. Insignis hujus modi hallucinatio tanto viro quasi fundamentum præstitit ad figendam Argonauticæ expeditionis epocham ex cœlestium signorum positione, quam Argonautis ad Corcyram appellentibus obtinuisse confidenter affirmat : « De hoc viderint, ait Quirinus, Astronomicæ disciplinæ periti, inter quos forte non deerunt qui Newtonianam opinionem ad Alcinoï Apologos amandent (6). » Sed hæc hactenus; de hoc libro tandem breve judicium faciamus.

Cardinali quidem Quirino minime licuit inscriptionibus nondum compertis uti, ideoque, quum de antiquis legibus et moribus disserit, eruditis nostri temporis scriptoribus non æquandus est; præterea, aut nugas amplificare, aut semetipsum supra ceteros commentatores extollere palam gestit; illius tamen opus jure laudandum est, propter quod

(1) Cap. XVI et XVII.

(2) Cap. XVIII.

(3) A cap. XIX usque ad XXV; ex. gr. Diatriba de Monetis.

(4) Index auctorum quorum dicta expenduntur et emendantur : Joannes Harduinus; Ezechiel Spanhemius; Plauti Interpres; Andreas Marmora; Albertus Fabricius; Interpres notit. Græc. Episc.; Josua Barnesius; Jacobus Gronovius; Philippus Cluverius; Abraham Berchelius; Dion. Petavius; Anna Daceria; Jo. Meursius; Jacobus Dalecampius, Jac. Perizonius; Erasmus; Ald. Manutius; Isaac Newtonus; Auctor Indicis Biblioth. Coislin; Nicol. Franc. Haymius; Isaac Casaubonus; Patres Catrovius (Catrou) et Rouillæus (Rouillé); Montfauconius; Jac. Sponcius; Baudurius; Ant. Gallandius.

(5) P. 89 libri Parisiis impressi an. 1728 : *La Chronologie des Anciens Royaumes corrigée.*

(6) Primordia Corcyræ, Appendix, p. 32.

in eo referuntur et accurate perpenduntur omnia sive Græcorum, sive Latinorum auctorum dicta, ad rem spectantia.

III.

SPECIMEN BRIXIANÆ LITTERATURÆ.

Quum opus cui inscriptionem fecit « Specimen Brixianæ litteraturæ (1) » concinnavit Cardinalis Quirinus, Brixianorum gloriam atque studiosæ juventutis utilitatem in animo habuit (2).

Minime pati poterat insignes Scriptores, quibus renatarum litterarum tempore inclyta hæc civitas abundavit, adeo male in *Brixiana L. Cozzandi Bibliotheca* habitos fuisse ut nihil magis ejus Urbis dignitatem et eorum ingeniorum præstantiam dedeceret. Consilium igitur iniit tam gravi malo mederi et de via cui insisteret, postquam multa versasset mente sua, demum optimum factu reputavit Brixianorum illius ætatis Scriptorum notitias non accurata tantum narratione describere, sed præterea ex ipsorum operibus non adeo brevia fragmenta, sive præfationes, sive epistolas nuncupatorias e veteribus Editionibus, magno plerumque labore et temporis impendio, utique conquirendis desumere et in medium proferre. Iis enim instrumentis atque subsidiis nihil opportunius esse poterat ad Scriptorum doctrinam, ingenium, stylum, et vitæ etiam eorum vices, aliaque omnia illustranda, unde et eorumdem, et in universum litteraria temporis quo scripserant historia perspicuis certisque fundamentis nixa perciperetur.

Interdum occasiones arripuit Quirinus e Brixianæ provinciæ finibus ad alias excurrendi. Qua in liberiori cursatione eo pronius genio suo indulsit, quo frequentius contigit Brixianorum labores cum iis collatos, quos aliarum gentium homines ea ipsa tempestate, iisdemque argumentis pertractandis impenderunt, lucem et pretium ex ea ipsa comparatione indipisci.

Primam partem operis imple trecensio veterum Poetarum qui, typographicæ artis recens inventæ beneficio, publicam lucem Brixiæ acceperunt, ducto initio a Plauti Comœdiis usque ad Martialis Epigrammata (3). Pars autem altera Brixianos Scriptores profert qui, ætate de qua agitur, in Arte seu Grammatica, seu Oratoria, seu Poetica primas feliciter tulisse censendi sunt (4).

Si quis intelligere velit quam lato se exporrigat campo operis hujus materies ac methodus, Plautinas Comœdias unde primus tomus exor-

(1) Specimen variæ Litteraturæ quæ in Urbe Brixia ejusque ditione paulo post Typographiæ incunabula florebat, unde præter Brixiani ingenii gloriam, tam Annalium Typographicorum series quam Historia litteraria temporis illius illustrantur.

(2) Commentarii, t. III, p. 167; Operis præfatio.

(3) Pars I. Poetas Latinos aureæ et argenteæ ætatis quos Brixiani Scriptores illustrarunt complectitur.

(4) Pars II. Complectitur Grammatica, Oratoria, Poetica et Philosophica (hæc ultima desunt).

dium trahit in manus sumat. Vix eæ, ait Quirinus ipse, typorum ope lucem aspexerant, opera Georgii Merulæ Alexandrini emendatæ, Venetiis nimirum anno 1472 et Tarvisii 1482 iterum recognitæ, quum Pylades Buccardus Brixianus, quippe qui nec Merulæ emendationes, nec etiam Bernardi Saraceni Veneti et Joannis Baptistæ Pii in easdem Comœdias Adnotationes (quæ pariter paulo ante prodierant) satis probaret, novam ipse Plauti Editionem, acriter in ea perstrictis trium illorum doctorum Virorum laboribus adornavit; quam eo mortuo Joannes Britannicus, item Brixianus, Pyladisque amicissimus publici juris fecit Brixiæ an. 1506. Plautinum inde, ut ita dicam, exortum est bellum, cujus Merula et Pylades fax ac turbo fuerunt. Merulam qui in illa sua Editione Saraceno et Pio infesta intulerat signa et aliis etiam quotquot seu Nicolai V Romani Pontificis, seu Alphonsi Neapolitani Regis jussu, Plauto expurgando manus admoverant, æque infense adorti sunt, præter Pyladem, Angelus Politianus et Cornelius Vitellius. Contra a Merulæ partibus steterunt bini ejus discipuli, Eusebius Scutarius Vercellensis et Thadæus Ugoletus Parmensis. Ille Plauti Comœdias novis curis recognitas jussu ipsius Merulæ publicavit an. 1490 Mediolani et an. 1495 Venetiis; eique eximias laudes tribuit in nuncupatoria ad ipsum epistola. Ugoletus vero novam et ipse Plauti editionem evulgans Parmæ, an. 1511, et in ea se Merulæ vindicem palam professus, Pyladem magno impetu recta invasit, acerbe conquestus, ejus lucubrationes tantum nominis et auctoritatis adeptas fuisse apud grammaticos (quos tamen ipse semitarios vocat) ut solus hic Plautinos sales et numeros ab inferis revocasse putaretur. Falsi etiam crimen Pyladi impingere conatus est Ugoletus ob versus quosdam in Amphitryonis Dramate pro Plautinis ab ipso, vafre nonnullis ex Nonio permixtis, recitatos. Ii versus, aliique a Codro Urceo, pariter Brixiano, Aululariæ Dramati assuti, pugnæ instaurandæ nova arma ministrarunt. Eam Ugoleti Editionem, sed cum nova Plautini textus castigatione, luce donavit an. 1518 Venetiis Lucas Panetius, Olchinensis canonicus, qui tamen Ugoleto Pyladem aggredienti haud succenturiatus est, nam contra, eumdem æque ac ceteros Plauti interpretes commendavit. Pyladis, tanquam gregarii militis, in Plautum exercitationes flocci fecisse Simon Charpentarius in Parisiensi nitida et luculenta Plauti editione videri posset, quandoquidem Barbari, Pii, Vallæ, Saraceni, Merulæ, Politiani et Beroaldi laboribus se profecisse testatus, Pyladis opera prætermisit. At Parisiensis illius editionis, anni notatione destitutæ, ætas parum comperta Pyladem ab ea nota absolvit; cujus præterea non mediocris laus est fide et diligentia Plautinos versus ad certam regulam et libram a nullo unquam tentatam redigere studuisse. Hic tamen Pyladis conatus rursus Plauti interpretes ad arma sollicitavit, aliis alias Comicorum numerorum leges condentibus, et sub ipsas poetam cogentibus (1).

(1) Partis primæ Præfatio.

Quum vero summa diligentia insudaverit aliquis ut, unoquoque, prout res posceret, ante legentium oculos objecto monumento, tot una ætate de Plautinis fabulis excitatas turbas ordine enarraverit, limatumque ad singula adhibuerit criterium, num amplius aliquid desiderandum est?

Prima operis parte descripta seriem, eades est quam præfert Bibliotheca Latina J. Allatii Fabricii, quod ejus immutandæ nullam sibi causam subjici Quirinus existimaverit. Hi sunt poetæ quos scilicet Brixiani scriptores illustrarunt : Plautus, Terentius, Catullus, Horatius, Ovidius, Lucanus, Persius, Statius, Juvenalis, Martialis. Ad singulos illos prologum apposuit Quirinus, ubi qua ætate vixerint, quæ Poemata condiderint, qua in re excelluerint explicavit, cursim, ita tamen ut omnes illi prologi, si in unum colligerentur, quoddam veluti veterum poetarum Historiæ breviarium constituerent.

Secunda pars, tripartita septemque et quadraginta libellis conflata, grammatica, oratoria et poetica continet. Ne quis a nobis roget ut earum omnium huc compendium afferamus, satis erit in scenam promere Brixianos principes earum artium, scilicet grammaticæ Augustinum Saturnium Lazaroneum, oratoriæ Jovitam Rapicium, poeticæ Laurentium Gambaram et Milium Voltolinam.

E duodecim enim Grammaticis a scriptore memoratis (1), Lazaroneus palmam referre videtur. Janus Pincius, poeta laureatus, in Epistola *Lazaronei Mercurio* præposita, diserte affirmat in tanto viro vires suas potissimum expertam esse grammaticam, præcipuosque ejus Artis doctores qui ante ipsum scripserant, plus ab eo splendoris accepisse quam illi tribuisse. At Lazaronei excellentia ex ipso Lazaroneo dignoscenda. Quare fragmenta multa, ex ipsius *Mercurio* excerpta, recitat Quirinus quæ vel sola demonstrarent eximiam hominis peritiam : « Qua factum est, ait auctor, ut ipsæ grammatices, seu tricæ, seu brevia et scopuli (ut vocari solent) hujuscemodi pondus ac decus nancisci valuerint, perinde ac si ad percipienda sublimioris cujuspiam facultatis principia aditum patefacerent. De Impersonalibus, inquam, de Participiis, de Gerundiis, de Supinis ita sapienter, ita acute præfatur Saturnius, ut tantum dignitatis seu Philosophi, seu Theologi etiam eloquio inesse vix, aut ne vix quidem contingat, dum gravissimis argumentis proœmium constituunt (2). »

Palmam quam Saturnius Lazaroneus in grammatica est assecutus, Rapicio in oratoria (3) negari non posse his verbis contendit Quirinus : « Ad oratoriam artem accedo, in qua peregrinus et hospes sit oportet, cui minime notum Jovitæ Rapicii nomen. Qualis quantusque in ea fuerit Rapicius, orationes plures ad demonstrativum genus per-

(1) Pylades Buccardus, Joannes Britannicus, Christophorus Barzizius, Franciscus Stoa, Paulus Suardus, Augustinus Saturnius Lazaroneus, Joannes Calphurnius, Bartholomæus Parthenius, Jovita Rapicius, Joannes Taberius, Cornelius Donzellinus, Aldus Manutius.

(2) Specimen variæ Litteraturæ, etc., t. II, p. 84; et Præfatio secundæ partis.

(3) Christophorus Barzizius, Jovita Rapicius, Gregorius et Benedictus Britannicus, Joannes Marius Matius, Marius Nizolius, Nicolaus Perottus.

tinentes, quas conscripsit, ostendunt; at multo adhuc manifestius libri quinque de Oratorio numero, cedro utique dignum opus. Hanc Rhetoricæ disciplinæ partem ab aliis neglectam, ab aliis quasi percipi nullo modo posset, depositam ac desperatam adeo docte et copiose tradidit, ut in eadem Rapicius unus (absit verbo invidia) legi mereatur (1). »

Hic ipse Rapicius ita fuit poetica disciplina imbutus ut metricam in nonnullos Psalmos Paraphrasim condiderit quam cum celeberrimis ejusdem generis M. Antonii Flaminii et Georgii Buchanani operibus de principe loco dimicantem Quirinus vulgare non dubitavit (2).

Inter poetica maxime laudat auctor Laurentii Gambaræ de Columbi navigatione Poema (3), et Milii Voltolinæ de Hortorum cultura Epicum Carmen (4) : « Milium nostrum eo in Poemate superasse veteres omnes qui de Hortorum cultura præcepta doctissime et elegantissime litteris mandaverant, et Columellam quoque qui id ipsum poeticis numeris diligentissime præstiterat, affirmat Euphrastus in Epistolas Poemati illi præposita. An autem Nicolai Rapini qui post ipsum de eo ipso argumento celebratissimum Poema condidit Musam æquaverit, suo loco aliorum judicio relictum est. At dubitari nequit Saloensem Musam multum abfuisse ab ea animi exultantia qua Rapinus post jactatam in Præfatione multis multisque verbis suscepti a se operis arduitatem, perinde ac si ipsum Virgilium, aliosque omnes post ipsum poetas deterruerit, deinde in Prologo secundi libri ita sibi plaudit ut quercus ipsas frondosa cacumina, unde meritam ipse capiti suo coronam imponat, inclinare jam cernat, et sylvas jam audiat læto fremitu assensuque secundo responsare. Saloensis nostri Poema Rapino ignotum fuisse, nil mirum quum Brixianos ipsos nihil de illo rescivisse ex Cozzandi Bibliotheca in qua omittitur non Poematis tantum sed et Scriptoris mentio facile pateat. »

Pari ratione, admirandum esse existimat Quirinus Poema de Columbi navigatione ab Ubertino Carrara, XVIII° sæculo compositum et Æneidi ipsi Virgilianæ a quibusdam par habitum.

« Gambaræ nostri Poema, subdit Quirinus, tum editiones plures, tum epistolæ Manutii, tum sexcenta scriptorum ea ætate testimonia, lippis et tonsoribus notum reddiderunt, ac propterea in eo detegendo non adeo laborandum ac Columbo fuit in illa sua ad Novum Orbem navigatione (5). »

Quid multa? De omnibus quibus Brixiana gloriatur litteratura, renascentium litterarum ætate, in hoc opere aliqua fit mentio (6).

(1) Præfatio et t. II, p. 91, sq.
(2) Specimen variæ Litteraturæ, etc., t. II, p. 91 sq.
(3) Ibid., t. II, p. 192 sq.
(4) Ibid., t. II, p. 259 sq.
(5) Secundæ partis præfatio.
(6) Inter poetas : Jo. Franciscus Stoa Quintianus, Faustus Sabæus, Jovita Rapicius, Jacobus Bonfadius, Nicolaus Siccus, Bartholomæus Theanius, Cæsar Duccus, Andreas Mutius, Augustus Cocceianus, Calemerius Balneacatus, Jo. Marius Matius, Diomedes Sala, Jo. Antonius Taygetus, Hieronymus Bornatus, Ludovicus Federicus, Comes Brunorius Gambara, Nucentius Zinus, Josephus Milius Voltolina, Laurentius Gambara, Theophilus Monachus

Ut Quirini liber magnis et insignibus de litteraria Italiæ historia operibus, sive a Tiraboscho (1), sive a Mazzuchello (2) editis, in æquo poni non potest, sic aliquem inter optimos numerum obtinet, quippe qui absque longis et arduis studiis componi non potuerit. Tempore quo in lucem prodiit multa nova et incognita palam fecit; interdum quidem per errorem labitur scriptor, non ita tamen ut illius minuatur auctoritas; denique totum opus eleganti et lepido dicendi genere valet.

Ad summam Quirinus, de rebus ecclesiasticis duo opuscula perfecta, aliud de Ritibus *Vetus officium quadragesimale Græcorum*, alterum de historia paparum, *Vitam Pauli II*, inscriptum; magnum opus inchoatum, *Historiam Italiæ Monasteriorum*; denique *Epistolarum Cardinalis Poli editionem*, doctissimis adnotationibus et commentationibus refertam, reliquit.

Quod ad litteras pertinet, *Francisci Barbari epistolas* curiosa quadam felicitate edidit et duo ipse opera composuit unum ad singularem quamdam veterum rerum spectans, *Primordia Corcyræ*, alterum quod, demptis Commentariorum libris, maxime peculiari ac propria ingenii nota signavit, illud *Specimen Brixianæ litteraturæ*, in quo simul edentis, dijudicantisque ac narrantis partes sustinuit.

Brixianus, T. Prosper Martinengus, Ubertinus Posculus, Joannes Calphurnius, Pylades Buccardus, Bonifacius Bembus, Andreas Maro, Maccaronica Merlini Cocai, Italica Brixianorum poesis, Octavius Pantagatus.

(1) Tiraboschus (Hieronymus), Bergamensis, 1731-94, Mutinensi Bibliothecæ præfectus *Storia della letteratura italiana*; 1787-93; 16 v. in 4°.

(2) Mazzuchellus (Ioannes-Maria), Brixianus, 1707-65, Quirinianæ Bibliothecæ præfectus; *Gli scrittori d'Italia, cioè notizie storiche e critiche intorno alle vite, etc.*

CAPUT IV.

DE QUIRINI OPERIBUS AD EUM IPSUM PERTINENTIBUS, ID EST EPISTOLIS ET COMMENTARIIS. — CONCLUSIO.

Non dubito quin omnes jam animadverterint Cardinalem Quirinum de rebus a se gestis unumquemque legentium libenter et frequenter monuisse. De se in omnibus scriptis suis, et præsertim, quod est consentaneum, in epistolis, loquitur. Præterea totum opus propriæ suæ vitæ dedit. Ea breviter exsequamur, tandemque de eo sententiam nostram proferamus.

I.

EPISTOLÆ LATINÆ.

Superiorum capitum gratia, Quirini epistolæ legenti notiores esse videntur, quam ut de illis hic multa dicamus.

Ab anno 1741, vulgavit et ipse litteras a se scriptas quas sive æqualium, sive posterorum studio dignas existimavit. E ceteris, nisi fallor, paucæ supersunt; sed, quum constet nostrum Cardinalem sibi scriptisque suis quam maxime indulsisse, haud inconsulte concludemus litteras quas reliquit ineditas non ita magni pretii faciendas esse. Nonnullas quidem invenimus quibus tantum amicis aliquid committebat, aut iisdem gratias agebat (1). Hoc minime mirabimur, si meminerimus Quirinum cum nemine ita conjunctum fuisse ut in litteris de rebus privatis potius quam de litterariis aut ecclesiasticis ageret; quæ autem ad ea spectabant tanta cura componebat ut veræ dissertationes, sive eruditæ, sive theologicæ, evaderent. Illas typis mandabat et in vulgus edebat.

Cur ergo inter opera ad Quirinum ipsum pertinentia eas collocavimus? Quia, in quavis epistola aliquid de se memorans, fere ipso facto totam vitam suam narravit Quirinus. Hoc compertum habebit quisquis legerit « Indicem Rerum memorabilium » a Coleto, in latinarum epistolarum editione, paratum. Quum igitur San-Vitalis Continuationem Commentariorum scribere cœpit, satis habuit Quirini epis-

(1) Cf. Bibl^e nat^le Mss. f. 19.639, 24.418, 24.469. Epistolæ ad Ruinartium, Montfauconium et Bouhierum.

tolas latinas et italicas perlegere, ut ex eis sumeret quæ operis sui intererant.

Litteras seorsum editas in Decades colligere consueverat Cardinalis noster; ita decem decades latinarum epistolarum, sex tomis comprehensæ (1), et italicarum decades duæ, uno tomo, ex ordine vulgatæ sunt; italicarum alterum volumen postea connexum est. Novem tomis igitur continentur Cardinalis Quirini litteræ, quibus addendæ sunt nonnullæ seu dispersæ, seu etiamnunc ineditæ (2).

Describenda autem nobis est altera latinarum epistolarum editio priore magis egregia. Jam septuaginta Quirinus in septem decades compegerat, reliquæ vero seorsum vagabantur, quum Venetus quidam editor, Nicolaus Coletus, earum centuriam rursus cudere statuit. Testis hujus instituti hæc in primi Tomi capite Epigraphe : « Eminentissimi S. R. E. Cardinalis A. M. Quirini Epistolarum centuria; » quam si deinde in capite tomi secundi (3) mutatam inscriptionem comperiet lector in sequentem : « Eminentissimi S. R. E. Cardinalis A. M. Quirini Epistolæ latinæ reliquæ, » profecto intelliget improvisam rem aliquam editori causam fuisse cur non jam centum sed omnes latinas Epistolas colligeret.

Etenim jam tertia pars voluminis emerserat e prælo quum mortuus est Episcopus Brixiensis. « Sicuti desipientis fuisset, ait Coletus, omnes imprimere velle, dum indefessus auctor vegeta vividaque cum corporis, tum mentis, uteretur valetudine, ac propterea nullum dubitandi locum relinqueret quin novas identidem foret in lucem emissurus epistolas; ita etiam vecordis fuisset si centum solummodo, neglectis aliis, meis typis recudere voluissem, cum mors quæ inopina auctoris vitæ stamen abrupit, omne novarum ejus lucubrationum filum simul inciderit (4). »

Idem Coletus de Quirini epistolis æquum judicium fecisse nobis videtur quum scripsit : « Hic ego nihil veritus illud Horatii

............................Plenius æquo
Laudat venales, qui vult extrudere, merces.

hasce Quirinianas epistolas commendare studerem ex elegantia et ex omnigena eruditione, quæ per omnes scientias late spatiatur, ex argumentorum varietate, quæ simul delectat et docet, ex subtilitate copia dicendi, judicii, quo res controversæ discutiuntur, ex acri adversarios urgendi vi, et ad incitas redigendi, ex rebus primo inventis et veteribus documentis e latebris effossis, ex pietate, zelo, comitate, quibus undique redolent; ex his unquam aliisque illas commendarem, si ita se non probassent iis quibus elegantiores litteræ

(1) De hac editione, cf. Brunet, Manuel du Libraire.

(2) Biblioth. nat[le] Fr. 19.639, 24.418, 24.469; et Biblioteca civica Queriniana (Brescia) t., VI, 2. m. 4; t. III, 8; t. IV, 7. m. 4.

(3) Coleti, p. 517; duo tomi in uno volumine copulantur.

(4) Coleti præf., p. VII.

cordi sunt ut omni elogio carere queant. Addicam tantummodo meo Eminentissimo auctori quæ de Euphrate philosopho scripsit olim Plinius secundus in libri primi epistola decima : « Disputat subtiliter, graviter ornate; frequenter etiam Platonicam illam sublimitatem et latitudinem effingit. Sermo est copiosus et varius, dulcis imprimis, et qui repugnantes quoque ducat et impellat (1). »

Hanc igitur sententiam comprobemus et Quirini epistolas, sive, eis tanquam eruditis dissertationibus incumbamus, sive in eis litteraria de multis, privata de Quirino documenta exquirere nitamur, magni pretii faciamus.

II.

COMMENTARII.

Narravit ipse Quirinus quomodo in cogitationem inciderit scribendi Commentarios ad se pertinentes. Quum versaret libros Card. Augustini Valerii, accidit ut inter istos converterit potissimum oculos ad Commentarium quem ille de rebus suis composuerat. Quum autem notaret ibidem diligentissime expositum fuisse « quot Valerius libros ad eam usque diem confecisset, quibus moribus in adolescentia, in juventute, in reliqua vita fuisset, quos amicos habuisset; quid quovis tempore sibi accidisset; » in mentem illi rediit paris generis Commentarius de rebus suis, cui adornando a quindecim circiter annis manus admoverat, cujusque nonnulla in litteris ad Academicos Parisienses an. 1743 exaratis vulgaverat. Erutus ergo e latebris fetus ille auctori placere cœpit, ita ut summam manum operi imposuerit. In duas partes et quatuor libros illud divisit; primus Quirini juventuti et studiis, ab anno natali 1680, datur; secundus triennali ejus in Gallia commorationi, primus autem secundæ partis spectat ad res a Quirino gestas post repetitam Italiam usque ad Cardinalatum ei delatum, anno 1727; secundus denique usque ad annum 1740, tempore quo Benedictus XIV ad Summum Pontificatum evectus fuit, deducitur. Opus interruptum confecit, ut in præfatione dictum est, Fredericus San-Vitalis Soc. Jesu. Cardinalis ipsius tria volumina in lucem prodierunt Brixiæ, an. 1749; San-Vitalis autem tomi duo, ibidem, anno 1761; sic Quirini vita nihilominus ac tomos quinque implet.

Eadem ratione componuntur duæ istæ Commentariorum partes; quas ediderat lucubrationes, Quirinus recensuit, multa ex epistolis sive a se scriptis, sive ad seipsum missis, collegit; ita ut et plerasque narrationes suas documentis firmaverit, et prioribus scriptis fere nihil aliud adjecerit quam temporum seriem atque ordinem; idem egit San-Vitalis; ut uno verbo utamur, hi Commentarii ceterorum Quirini operum compendium esse videntur.

(1) Coleti præf., p. VIII.

In eis epistolis, quarum nonnullæ integræ recitantur, natura negotiorum hominumque animus, velut in fidissimo speculo, enitent. Multæ eo digniores erant quæ imprimerentur, quo longius eorum qui eas scripserant mens abfuerat ab iisdem edendis. Sed, ut Abbatis Oliveti verba referamus : « Quum de nostra conjunctione cum illustribus viris agitur, causa est cur dubitent ceteri utrum jactante an grato animo loquemur, ita ut, ne in suspicionem levis culpæ veniamus, certum officium prætermittamus. »

Ab officio gratiam illustribus viris quos novit, aut semel invisit, referendi nunquam decessit Quirinus : « Horum virorum, inquit, auctoritas, multoque magis expositarum in hoc Commentario rerum fides omnimodis a me deposcebat, ne eumdem litterarum quas provide ab interitu servaveram, præsidio fraudarem, quo si ille caruisset, non historiam, sed apologos conscripsisse alicui videri possem (1). »

Nonne autem priori vitio, cujus mentionem inchoat Olivetus, sæpius indulsit Cardinalis noster? Silentio utamur benevolo. Aut potius illum extra modum ostentavisse et præclaros amicos et honorificas epistolas fateamur.

Miris argumentis hanc agendi rationem confirmat : « Quod spectat, ait, ad honorifica de me testimonia, quibus eæ litteræ scatent, ingenue fatebor conatum aliquando me esse cuncta illa demetere, statimque mihi innotuisse, ob eam obtruncationem repente quidquid lucis in iis litteris ex scribentis ingenio internitebat exstingui. Caute igitur falcem adhibens, iis testimoniis peperci, quorum omissio amicorum erga me humanitatem nimis obscurasset. Hanc contra nunquam prædicare cessabo ita largiter expertum me fuisse,... ut nihil amplius in hoc felicitatis genere desiderari a me deinceps potuerit, aut desiderandum ullo modo in præsens supersit (2). » Rara quidem ingenuitate addit se maximum animi summissi argumentum dedisse quum abstinuerit a litteris quas ipse scripserat in Commentario edendis, quanquam, multorum judicio, stylo commendarentur; quibus dictis nihil antiquius habet quam ut Cardinalis Destræi et Montfauconii testimonia conferat (3); addamus nos ipsi quod et latinæ et italicæ ejusdem præcipuæ epistolæ jam antea ab illo vulgatæ fuerant!

Sui ipsius laudationem sive etiam defensionem suscepisse vehementer negat Quirinus; imo fideliter memorat quæ adversus ipsum scripserant Auctor Hagensium Ephemeridum et Lamindus Pritanius :

(1) Comment. Præf., t. I, p. VIII.

(2) *Ibid.*, p. IX.

(3) Card. Destræus, die 4 Dec. 1713, hæc ad Quirinum scribit : « Vous m'avez escrit, Monsieur, ou mon Reverend Père, ou Vostre Excellence, ou Vostre Paternité, une lettre admirable dans nostre langue. Comment l'avez-vous si bien volée? Je vous aurois permis d'en piller dix autres de touts les temps, Grec, Latin, Arabe, Siriac, Cofte, Espagnol et jusqu'aus Bearnois, Anglois et mesme bas Breton. Mais ce vol dont je me plains sur vos amis, c'est un trait inhumain et comment vous le pardonner? » Montfauconius vero die 30 Mart. 1714 ita loquitur : « Vôtre caractère vous distingue assés, sans que vôtre nom paroisse; j'entends par le caractère non pas l'écriture, mais le style. Le vôtre est si marqué que je n'en connois point de semblable, spirituel sans affectation, rempli de tours tout à fait agréables, etc. »

« Utraque autem, inquit, ipsissimis eorumdem verbis proferens nec iota, nec apicem, de meo iisdem, apponam, ultro sinens, ut liberum judicium ferat quisquis ea dicteria et scommata legerit, sentiatque proinde, si velit, laudandam potius esse seu illorum scriptorum, seu quorum illi impulsu eadem conscripsisse comperiantur, libertatem, quam aliorum quorumvis humanitatem et indulgentiam (1). »

Summa petit livor, perflant altissima venti.

Verum quidem est Quirinum nullam adversariorum confirmationem recta refutatione diluisse (2); sed res ita exponit ut sui ipsius agendi ratio laudanda semper mirandaque videatur. Ceterum hoc peccant pleraque ejusdem generis opera; Commentariique Cardinalis Quirini multo magis quam plerique veritatem exhibent. Ex iis quæcumque scripsit, illi maximam nobis voluptatem et utilitatem præbent; quos eo libentius legas quod facili et clariore quam puriore, si grammaticis credendum est, sermone, ac nonnunquam fusa oratione scripti sunt. In iis includuntur multæ et novæ fabellæ, multa documenta atque judicia, unde historia rerum ad religionem aut litteras accedentium valde proficere queat; insuper in iisdem ceterorum Quirini operum argumenta adeo in unum conflantur ut qualis fuerit vivida imagine exprimerent, etiamsi cetera omnia periissent; denique nobis facultatem faciunt æquam sententiam de eorum scriptore ferendi.

Hac igitur sententia finem libello nostro imponamus, Quirinique effigiem paucis quidem verbis adumbremus.

III.

Vultus quosdam reperias in quibus eminet, imo insidet aliqua animi facultas quæ ceteras imperio premit. Si quis enim Cæsarem intueatur, quomodo non extemplo altissimam et latissimam frontem splendidissimo lumine refulgentem animadvertatur?

Est aliud vultuum genus qui non unam, excellentissimam quidem, animi facultatem ostendunt, sed quasi copiam facultatum felicissimam, quæ societate magis universarum quam uniuscujusque excelsitate valent.

Quod quidem in nullius magis quam in Quirini imagine a Marco Pittero sculpta apparet; in qua potissimum eminere neque vigorem, neque dignitatem, neque intelligentiam, neque suavitatem, neque acumen dicas; deesse vero ullam earum rerum nemo nisi injustus asserat. Ex iis omnibus, legitimo quodam mixtis temperamento, conficitur et conflatur singulare quoddam exemplar eorum virorum qui, fere omnibus æque animi ingeniique virtutibus pollentes, non uni sed optimo cuique

(1) Nisi in pastoralibus quibusdam epistolis de quibus supra actum est. Cf. pars I, cap. v.

(2) Comment., Præf. t. III, p. vi.

studio addicti, pulcherrimarum rerum appetentissimi, ad agendum etiam ut ad loquendum aut scribendum apti, atque omni bonarum artium referti doctrina, digni visi sunt qui *humanissimi* vocarentur.

Humaniores quidem litteras ita colit, ut speciosissimas regiones perlustrans, neque natura, neque monumentis haud immerito decantatis moveatur. Sive quoddam iter habeat, sive deambulet, sive laboret morbo, semper aliquid meditatur componendum; quin etiam, jam moriturus, jam supremo sacratoque viatico munitus, mente etiamnunc adeo viget ut carmina latina suo tumulo inscribenda numerose condat (1). Qua dulcissime peccet, et quasi deliret, novit, imo fatetur, ita tamen ut illam det excusationem sese levissimo hoc errore a gravioribus officiis nunquam summotum fuisse (2); quod idem illi testati sunt semper qui judicium de eo ferre poterant æquissimum (3).

Sibi valde placet, valdissime quidem hoc tantum, ut vera dixerim, culpandus est; hoc bellissime a Voltairio illusus fuit; hoc eo impellitur ut quidquid fecerit, vel dixerit, vel scripserit, et omnes edoceat, et ipse, non sine quodam candore, primus admiretur.

Nihil enim aliud invenerunt ei objiciendum Batavi isti libellorum auctores, quanquam multa scrutati sunt et acerrime in eum pugnaverunt (4).

Antiquitatis, eruditionis, litterarumque studiosus, omnes animi tanquam curiositate superat; plura autem volumina devoravit, plures attigit controversias, quam ut multa introspicere penitusque tractare

(1) Coleti, p. 16. Epist. VI Card. Corsino, 28 sept. 1741.

(2) « Nec ego hac in re meam imbecillitatem diffitebor, quæ tamen (hoc etiam fateri liceat) tanta non est ut seu a muneribus meis, seu a gravioribus studiis mentem summoveat. » *Ibid.*, p. 16.

(3) Comment. Contin., t. II, p. 232; ex gr., duæ litteræ Card. Congregat. ad Quirinum datæ, alteræ quidem anno 1742, alteræ vero 1727; priores quas Benedictus XIV suo approbavit suffragio ita habent : « E^me^ et R^mo^ Domine Observandissime. Quanquam de Pastorali E^mæ^ tuæ diligentia atque fide nihil possit accidere inexpectatum Pont. Maximo et S. Congregationis Tridentinorum Canonum Vindici, præclara et magna cogitantibus semper de te; quem plurimis abhinc annis Episcopali in curriculo exercitatum, quem semper aliquid pro Religione, pro Populo, pro Republica morum aut scribere, aut facere, aut commentari assuetum, nunquam agendo defatigari, nunquam potuisse adduci usque adhuc ut diuturnæ militiæ honestum otium præferres, longo jam usu admirantur; literis tamen tuis de Brixiensis Ecclesiæ statu relatis, et rerum a te gestarum recordatione, et novo oblato argumento laudum tuarum, magnopere gratulantur.

« Tu enim in Vinea Domini semper aliquid aut extirpas, aut plantas. Tu Cleri mores emendas. Tu populi ingenium lenitate, humilitate et caritate, quæ vincit omnia, ad Religionis mansueta studia deflectis. Tu Religiosis Virginibus in solitudine et cordium simplicitate S. Francisci Salesii sequentibus disciplinam Patrimonium de tuo proventu constituisti. Tu super pauperes et egenos intelligens, nobilium hominum societatem, pauperum civium, honestorumque præcipue, sublevandis necessitatibus occupatam tuis largitionibus et exemplis et patrocinio sustentas.

« Nullus tuæ Diœcesis est angulus vel tam longe remotus, vel tam accessu difficilis, quem ipse vel pedibus non adiveris, quem tua præsentia vel aspectu non recreaveris. Te Italorum extremi populi, Te stirpes hominum montanorum in Rhætos et in Germanos usque porrectæ longo intervallo advenientem ad se pastorem et intueri et agnoscere potuerunt... Exstant Edicta, atque Leges a te sanctissime constitutæ; exstant Epistolæ ad Clerum et ad Gregem tuum.... Hæ tibi pascendi artes, hæc ratio est vigiliarum atque laborum tuorum, etc., etc. »

(4) Cf. supra. Pars I, cap. v; et Bibl. nationale. Recueil de lettres du Card. Quirini, 12 pièces in-4°. Inventaire Z. 3285.

potuerit. Inde fit ut, tota studiis dedita vita, nullum tamen librum præstantissimum, nullum etiam culpa vacantem, ediderit.

Sacerdos vero et episcopus, munus obiit religiosissime. Si quidem ei fuit ignotus vehementissimus ille pietatis et virtutis ardor quo inflammantur quidam sanctique evadunt, et nobis spectantibus fiunt splendidi viri rebus divinis addicti, semper tamen quo vocabat officium advolavit; semper dedit operam suis sacerdotibus ad alta erigendis, suo populo ad recta formando, et errantibus ad veram fidem reducendis. Multa pauperibus largitus est; rem domesticam, maximam quidem, ad fovendas et religionem, et scientiam et inopiam, sibi parcus, unice contulit.

Fuit, ne multa, vir honestissimus; fuit bonus venerandusque episcopus; fuit litterarum cultor amantissimus. Apud eum quamdam laudum cupiditatem lenissime rideamus licet; totam autem ejus vitam nobis probandam atque reverendam esse fateamur.

INDEX CAPITUM.

PARS PRIMA.

DE CARDINALIS QUIRINI VITA.

PARS SECUNDA.

DE COMMERCIO QUOD, SIVE PER COLLOQUIA, SIVE PER EPISTOLAS, CARDINALIS QUIRINUS, CUM ILLUSTRIBUS ET DOCTIS TOTIUS EUROPÆ VIRIS HABUIT.

PARS TERTIA.

DE PRÆCIPUIS QUIRINI OPERIBUS.

Vidi ac perlegi,

Lutetiae Parisiorum, in Sorbona,
a. D. III Kal. jul. ann. MDCCCLXXXIX.

Facultatis Litterarum in Academia Parisiensi Decanus,

A. HIMLY.

Typis mandetur.
Academiæ Parisiensis Rector,

GRÉARD.

J

EX TYPOGRAPHIA FIRMIN-DIDOT. — MESNILI AD STRATAM